



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

De S. Anastasio, Monacho Et Eremita In Gallia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

A

D

DE S. ANASTASIO,

MONACHO ET EREMITA

IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De Sancti cultu, biographo, ejusque in Normannia gestis.

CIRCA ANNUM
MLXXXV.B
S. Anastasius olim colebatur in diœcesi Rivensi, non autem Venetiis in patria.

Mabillonius qui omnium primus S. Anastasii Vitam edidit, scribit in *Observationibus præviis* num. 5 (a) hujus sancti viri nomen in nullo, quod quidem sciat, Martyrologio exhiberi, nequidem Benedictino: cui annotationi subscribere cogimur, quoniam nusquam, ne in Auctariis quidem Bedæ, Adonis, Usuardi hunc Sanctum designatum reperimus. Certus tamen est ejus cultus: adeo ut eum post Mabillonium Martyrologio suo inseruerit Claudius Chastelain his verbis: S. Anastasius Devotensis, (de Doyde) eremita in diœcesi Rivensi (Rieux), mortuus circa annum 1086, seu potius 1085. Præsenti quoque diei eum assignat, utpote natione Venetum, ampliatur Ferrarii in *Hagiologio Italiae* (b). Venetiis tamen nullum habet cultum; quin etiam vix aut ne vix quidem cognitus est: cujus assertionis fundamentum mihi est, quod in vasto opere Flaminii Cornelii, senatoris Veneti, cui nomen: *Ecclesia Veneta antiquis monumentis illustrata*, sermo quidem fit de quodam sancto Anastasio; verum is Persa, qui, sub Chosroa rege passus, XXII Januarii colitur, et cujus corpus Venetias translatum ibidem in capella SS. Trinitatis religiose asservatur (c); de S. Anastasio eremita prorsus ibidem siletur. Verum dum nullam in civitate, in qua natus est, sortitus esse celebritatem, in loco, in quo obiit, jam olim devote colebatur: quod testatur Mabillonius his verbis (d): Colitur in ecclesia parochiali Sancti Martini Doydensis, seu ut habet, Vitæ auctor, Devotensis, in diœcesi Rivensi, ubi integrum ejus sacrum corpus asservatum est usque ad sæculum XVI. Quid deinceps de Reliquiis factum sit alio loco explicabitur.

C
Ejus vita conscripta fuit, non decem,

2 Jam si ad Acta S. Anastasii stylus vertitur, vix quidpiam in eis est, quod dubia plura non pariat: et primo quidem Galterius, qui se eorum auctorem inscribit, Mabillonio, in *Observationibus præviis* ad Vitam num. 1, D. Ceillier in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* (e) et auctoribus *Historiæ litterariæ Gallicanæ* (f) cæteroque incognitus erat. Hi vero historiographi de eo gallice sic scribunt: Galterius biographus S. Anastasii monachi et eremite, circa annum 1086 mortui, videtur novem aut decem annis post hujus Sancti mortem suam scriptionem perfecisse. Hanc sententiam nobis suggerit tum ipsa libelli lectio, tum paucitas miraculorum. Gravis est auctor, sed ignotus. Verum tamen sacerdos fuisse videtur, atque adeo parochus Devotensis; saltem ad Petrum Devotensem subdiaconum opusculum suum dirigit. Parœcia

autem Devotæ, in diœcesi Rivensi sita, Sancti sepulcrum habebat. Sat facili narrat ordine et brevis est; quæ tamen brevitatis ad potiora Sancti gesta omittenda minime eum coegit. Sic fere sæpius nobis laudandi memorati Benedictini sodales; similiter Mabillonius, ex Vitæ contextu judicans, Galterium virum gravem appellat, eumque æstimat scripsisse non multo post S. Anastasii obitum. Mabillonii judicio omni ex parte accedendum esse ducimus. Verum brevior est lapsus temporis, decem scilicet anni, quos præcitati historiographi a morte S. Anastasii ad ipsius Vitæ scriptionem assignant: nam ut mittam S. Anastasium in vico ad Devotas peregrinum et ignotum fuisse, eumque tamen in hac sua Vita Sancti confessoris et gloriosissimi viri titulo cohonestari, celebremque satis ei cultum, cum gesta ejus descripta sunt, delatum fuisse; (quæ non ita continuo post mortem facta fuisse præsumenda sunt;) quæ, inquam, ut mittantur, alterum argumentum peti potest ex morte S. Hugonis, sexti Cluniacensis abbatis, insinuata in S. Anastasii Actis; quo probabile fit viginti circiter annos adiciendos esse decem illis, quos admisere *Historiæ litterariæ scriptores*.

3 Etenim laudati historiographi (g) cum Mabillonio aliisque admittunt S. Anastasium anno circiter 1086 obiisse; et ex altera parte constat S. Hugonem anno 1109 e vivis decessisse; sed cum S. Anastasii scripta est Vita, ad superos jam evolaverat sanctus hic abbas: quod luculente satis indicatur in ipsa Vita num. 4, ubi hæc sunt verba: Venerabilis abbas, Hugo nomine, qui Cluniacensi monasterio eodem tempore præerat; qui loquendi modus mortuo, minime vero viro viventi applicatur. Verum non multo plures quam triginta anni admitti posse videntur: nam in tota S. Anastasii Vita S. Hugo venerabilis tantum vir nuncupatur, nusquam Sanctus. Ineunte autem anno 1120, ut eruitur ex charta de qua ad hunc annum num. 96 in *Annalibus Benedictinis* (h) sermo fit, a Calixto II, qui ab anno 1119 Ecclesiam gubernavit, solemniter canonicatus fuit: audi hac de re Hugonem monachum ad Pontium abbatem Cluniacensem scribentem: Hic (Calixtus II) secundo Cluniacum rediit, ibique festum Dominicæ Circumcisionis et Apparitionis devote peregit. Qui dum inter cætera sæpius ageret de vita et miraculis B. Hugonis, non quorumlibet chartulas super his profusius exaratas attendit, sed personas authenticas in medio Cluniacensis capituli presentatas, de Sancto quæ

E

sed saltem triginta annis post mortem.

F

intellige Epiphaniæ

(a) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI, part. II, p. 487. — (b) T. II, ad XVI Oct. Edit. 1773. — (c) Eccles. Venet., t. IV, p. 356 et 358. — (d) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. VI,

part. II, p. 487. — (e) T. XX, p. 697. — (f) T. VIII, p. 428. — (g) Hist. littér. de Fr., t. VIII, p. 164. — (h) T. VI, p. 45. Edit. Paris.

viderant

A viderant et audierant validius attestatas, gratanter acceptit. Episcopis vero et cardinalibus pariter assentientibus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi natalem tanti Confessoris, tot et tantis virtutibus approbati, festivum fieri Papa decrevit. Quæ verba, cum hujus canonizationis solemnitate splendoremque subindicent, hic loci describenda visa sunt ex Bibliotheca Cluniacensi (a). Sed cum tanta fuerit hæc solemnitas, et S. Hugo in totis Galliis apprime nosceretur, fieri non potest ut latuerit Vitæ S. Anastasii scriptorem, qui plurimum cum Cluniacensibus commercium habere debuit, ut hoc suum opusculum conscriberet; quocirca cum Hugonem Venerabilem tantum minime Sanctum nuncupet, dicendum est eum scripsisse eo temporis intervallo, quod inter annum 1109 et 1120 effluxit. Atque hæc de descriptionis anno.

Temere dicitur ejus biographus sacerdos seu parochus Devotensis.

B 4 Unde vero Gallicarum litterarum historiographi eruerint S. Anastasii biographum sacerdotem et forte parochum Devotensem fuisse, fateor me id prorsus ignorare. Minime quippe id in ipsa Vita indicatur: ait quidem Galterius in prologo se amicam esse Petri, Devotensis ecclesiæ subdiaconi, ejusque fratris Bernardi; se scribere ut eorum petitioni satisfaciat, et posteritatis ædificationi consulat; at nihil præterea, quod ad hanc rem faciat. Et quidem nescio an ipsum initium prologi contrarium indicet; quis enim Devotensis, de vico suo agens, sileret se popularem esse atque nude sic scriberet: Galterius Petro Devotensis ecclesiæ subdiacono, et fratri ejus Bernardo, in omnibus prosperitatem? Quis parochus Vitam scriberet parochiæ suæ patroni, et nusquam innueret sese participare hoc patrocinium? Quapropter malo cum Mabillonio in suspensio relinquere litem de scriptore, quam quid certi signans cum citatis historicis aleam errore forte plenam volvere. De Galterio tamen certo dici potest eum monachum Cluniacensem non fuisse, quoniam de S. Hugone tanquam de viro a se alieno loquitur: sed indubium fere esse eum pleraque S. Anastasii gesta doctum fuisse a monachis Cluniacensibus, illi manifestum forte confido, qui animadvertit vix quidpiam in hac narrari Vita quod S. Hugonis gestis non annectatur. Cæterum quanta cura illud opusculum perfecit Galterius ad calcem prologi signat his verbis: Rogo ergo, et obnixè supplico, ut si quid incuria parum quæsiero, aut egestate mei ingenii prætermisero, etc.; quæ demissi animi formula factas ab auctore investigationes patefacere solet. Quibus ex Mabillonio addere juverit, quo pacto hæc Vita primum viderit lucem: quod ipse in Observationibus præviis num. 1 sic explanat: Hanc vero Vitam debemus illustrissimo ecclesiæ principi Antonio Petro Bertier, Rivensium antistiti, qui codicem MS., in quo ipsa habetur, ex ecclesia parochiali Sancti Martini Doydensis acceptum humanissime cum uno e nostris communicavit, quam ille statim exscriptam ad nos transmisit, Actis Sanctorum Ordinis nostri inserendam. Quam sortem circa alias Sanctorum Vitas nobis quoque apprecamur. Jam de Sancti nostri gestis; et primo quidem de pueritia.

S. Anastasius, liberally educatus,

C 5 Anno natali S. Anastasii determinando opportuna instrumenta præsto non sunt. Eum tamen ineunte sæculo undecimo, circa annum forte vigesimum, natum esse absque periculo affirmare licet, cum id ex tota ejus vitæ serie elucescat. Patria ei Venetiæ fuerunt, et nobile genus secundum dignitatem hujus mundi, ut Galterius fere loquitur. Parentibus suis magnæ curæ fuit liberalis ejus educatio; quod quidem eis eo facilius fuit, quo nobilior

D eo tempore florere inciperent in Italia studia, ubi tamen non ita pridem omnis eorum vigor atque decus neglecta fuerant. Prodigia itaque jam non erant, qui latinæ linguæ peritiæ græcitatæ notitiam adjungerent. Circa annum quippe 1085 scribebat Landolphus senior in Historia Mediolanensi (b). Guibertum archidiaconum utriusque linguæ magistrum et Ambrosium Biffium in latinis et græcis litteris eruditum atque ideo biffarium dictum. Eadem sors obtigit nostro Anastasio, de quo ejus biographus num. 2 sic disserit: A primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est; in quibus ita curam adhibuit, ut tam græcis quam latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. Cæterum cum Muratorius de Litterarum statu, neglectu, et cultura in Italia, ab invasione barbarorum usque ad annum 1100, contæuerit non inductum commentarium (c), satis pro instituto nostro fuerit lectorem ad eum remisisse. Monendum tamen est, nihil a Muratorio proferri, quod propius ad scholas Venetas spectet: qui defectus quoad hoc sæculum pertinet, non suppletur ab his, qui ex professo de litteris Venetis scripserunt, atque mihi innotescunt. Dubium itaque nobis est an S. Anastasius Venetam deseruerit terram, alibi humaniores litteras edocendus. Cæterum de ejus bonarum litterarum amore seu cum doctis commercio, postea recurret aptior dicendi locus.

E 6 Peractis studiis, paravit se Anastasius ad vitam monasticam, corpori edomando, spirituique oratione exercendo seriam operam navans. Peragravit deinde universam Galliam, quarrens sibi cœnobium, ubi arctius cum Deo conjunctus viveret, donec tandem venit ad mare Britannicum, ad fines diocesis Abrincensis in Normannia, ubi solitudo Montis Sancti Michaelis in Tumba, seu in periculo Maris (Mont S^t-Michel) votis suis explendis visa est opportuna. Annus autem quo id factum est inexplicabilibus fere tricis a Mabillonio involuitur: etenim in Observationibus præviis ad Vitam ita scribit: Discimus ex ipsa Vita Beatum Anastasium circa sæculi hujus undecimi medium in monasterium Sancti Michaelis in Periculo-Maris dictum secessisse, eo scilicet tempore quo abbas simoniaca labe infectus, cujus nomen reticuit, eidem cœnobio præerat. Hoc autem anno circiter MLVIII aut sequenti contigisse conjicimus, quod hinc duobus annis nullus in catalogis aut veteribus instrumentis monasterii Sancti Michaelis abbas memoratus occurrat, quod forte simonia notatus inter ejusdem loci abbates locum non meruerit. Et quidem cæteros abbates qui eidem monasterio hoc sæculo præfuerunt, simoniaca peste tactos fuisse non legimus. Sic ille hoc loco; et pergit culpans Arturum Monasterium, qui ad hoc tempus male quemdam Fulconem catalogo abbatum immiscuit. At prorsus alia alibi occurrunt: Annales enim Benedictinos scribens, ad annum 1048 § XLIII (d) ita loquitur: Haud levis suspicio est, Supponis abbas tempore Anastasium nobilem Venetum latine et græce doctum, in Montem Sancti Michaelis accessisse, ibique monasticum habitum induisse: ubi magnam invenisse dicitur congregationem monachorum religione præstantium, excepto quod abbas per simoniam subintraverat. Quibus verbis Mabillonius decem saltem annis citius S. Anastasium ad Montem S. Michaelis devenisse innuit, siquidem Suppo anno 1048 post quindecim gubernii annos pedum ponere et ad pristinum suum Fructuariense monasterium, quod situm erat in diocesi Eporediensi (Ivrea), ut habet Mabillio-

vitam monasticam amplectitur in Periculo-Maris: quod quo tempore fecerit, in ambiguo est.

(a) Col. 464. — (b) Lib. III, cap. XXI et XXIII ap. Muratori Scriptt. Rer. Italic., t. IV, p. 108 et 110. (c) Antiq.

Ital. Medii ævi dissert. XLIII, t. III, col. 809 et seqq. — (d) T. IV, p. 455.

A nius (a) et Lubinus (b), non autem in Vercellensi, ut male statuit Robertus de Monte (c), recedere coactus fuit.

Probatur id ab eo factum sub abbate Suppone.

7 Duplex itaque est Mabillonii sententia, aliter in Actis Sanctorum, aliter in Annalibus sui Ordinis scribentis; quod celeberrimo viro aliquando accidisse satis cognoverunt eruditi. Posteriorem sententiam amplexi sunt ejus sodales in Historia litteraria Galliae (d); eamque tenendam esse nos quoque arbitramur, tum quoniam ea non fuit Supponis probitas, ut extra omnem suspicionem sit, tum quoniam plures suadent rationes, id neque ante neque post Supponis tempora accidisse: atque hæc rationum momenta jam explicanda sunt. Imprimis non recte a Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis statui, Supponem non legi simoniaca peste tactum fuisse facile evincere est. In Chronicis scilicet scriptoris domestici, Roberti de Monte, sæculo XII abbatis S. Michaelis in Periculo Maris, reperimus sequentia (e): Reliquias (SS. Laurentii et Innocentii Martyrum) et partem corporis Sancti Agapiti Martyris, scilicet carnem cum costis quattuor, Suppo abbas Montis a monasterio Sancti Benigni Fructuariensis, ubi prius fuerat abbas, et prece et PRETIO ad monasterium Sancti Michaelis adportavit. Unde liquet non ita horrore fuisse Supponi res sacras pretio seu simoniace comparare. Præterea in altero Chronico Montis S. Michaelis, edito a Labbeo in Bibliotheca nova Mss. (f) legitimus de Suppone nonnulla alia, quæ minus ei favent: Eodem anno (1023), inquit chronographus, Suppo, abbas Fructuariensis, suscepit donum abbatiae Sancti Michaelis. Et dum laboraret in renunciatione Fructuariensis monasterii, et in adptione integra Montis, duo abbates rexerunt abbatiam S. Michaelis, videlicet Almodus, abbas Cæsarii (Cerasii in diocesi Bajocensi (g)), alter Theodericus abbas Gemeticensis, qui tamen non simul, sed successive abbatiale tenuerunt pedum, ut ex Gallia Christiana (h) et ex ipso jure canonico, biceps gubernium vetante, facile intelligere est. Jam vero integrum decennium laboravit Suppo, priusquam votorum suorum compos factus est, ut ex his Chronicis verbis liquet: Anno MXXXIII ordinatus fuit Suppo abbas, non volentibus monachis, sed Roberto, Normanniarum duce, cogente Almodum, qui palam ut abbas recognoscatur (i), ut secederet, quemadmodum habemus ex Gallia Christiana (k). Multa bona (Reliquias (l) scilicet et vasa sacra (m)) contulit abbatiae, ut loquitur citatum Chronicum, et duo monasteria a principibus cœnobio suo adeptus est, ut in Gallia Christiana docetur (n); verumtamen, ut Montis Chronicum denuo testatur, perseveravit in eum monachorum similtas, adeo ut propter odium monachorum recesserit, et reversus sit ad solum proprium. Dilapidationi bonorum monasterii odium illud tribuit Gallia Christiana (o), testem neminem indicans, sed verisimilius usa Historia Ms. Montis S. Michaelis, conscripta a D. Huynes, monacho Benedictino, atque nunc, ut Paulus Marchegay (p) tradit, in bibliotheca publica Abrincensi conservata. Verum is, qui abbatiam suam duobus asceteriis auxit, vix alio modo hanc incusationem incurere potuit, quam vendendo ea, quæ prius emerat, ut emptiois suæ pretium solveret. Quibus si addas Galliam Cisalpinam seu Longobardiam solum proprium Supponis fuisse, ut ha-

bet Chronicum, et proin valde mirum fore si monachi Normanni tam longe sibi abbatem quæsitura ivissent; dein illa Chronici verba donum abbatiae, acceptum a Suppone, nihil canonici sapere; et demum dubium esse non posse, quin præter Ecclesiae leges id S. Michaelis cœnobium subintraverit, cum duodecim annos laborarit ut abbatialem baculum e manibus aliis eriperet; indubium fit Supponi quadrare Galterii verba.

8 Diximus dein neque ante neque post Supponis tempora collocari posse simoniacum illum abbatem. Nam quod pertinet ad anteriora tempora, universa series Vitæ S. Anastasii, ut legenti patet, omnino non sinit, ut ille Sanctus ante annum trigesimum tertium sæculi XI, quo Suppo abbas factus est, ad Montem S. Michaelis accesserit. Neque minorem difficultatem incurunt posteriora, a Mabillonio in Actis Sanctorum sui Ordinis assignata, tempora, seu biennium post annum 1058, quo catalogus abbatum vacat. Scilicet cum simonia realis, de qua hic agitur, exsistere nequeat, nisi unus sit venditor et alter emptor; atque in præsentis supposito venditor ille vel Guillelmus Nothus seu Conquæstor, ad quem ex decessorum jure, pertinebat Mons S. Michaelis (q), vel ipsi monachi dicendi sint; facile demonstrare est, neque Guillelmum, neque monachos hujus criminis incusari posse. Ipsa enim S. Anastasii Vita num. 3 vindicat monachos, ubi tradit in Periculo Maris a Sancto nostro inventum fuisse magnam congregationem monachorum, in omnibus religiosorum, excepto quod abbas per simoniam subintraverat. Similiter, nisi Guillelmum Pictavensem, scriptorem cœtaneum et ipsius Guillelmi Conquæstoris capellanum, qui quæ oculis suis viderit indubitanter enucleare studuit, (ut loquitur de eo Ordericus (r),) erroris arguere libeat, hic nævus in Guillelmum Nothum conjici nequit: audiatur itaque Pictavensis: Hinc namque summo studio cœpit Ecclesiis Dei patrocinari, causas impotentium tutari, jura imponere quæ non gravarent... Rebus enim illicitis nimia ubique, ut supra docuimus, licentia fuit. Denique cœpit omnino a familiaritate sua remove, quos imperitos aut pravos dinoscebat; sapientissimorum vero optimorumque consiliis uti, externis inimicis fortiter resistere, obsequia debita a suis potenter exigere. Talis jam erat Guillelmus ante annum 1046, quod ex subsequentibus biographi verbis liquet: Cum hæc initia suum splendorem Normanniæ et antiqui status tranquillitatem jam redderent... Cætera legis apud D. Bouquet (s).

9 Luculentius hæc Ordericus Vitalis explanat et multo apertius declarat quid Guillelmus de simonia senserit. Pauca ex eo referre non piget, quoniam Christianus Lupus (t) falso scripsit simoniæ scabiem resumptam fuisse a Guillelmo Conquæstore. Sic porro loquitur Ordericus (u): Præsules et abbates aliosque sapientes consiliarios convocabat; et eorum consilio quis melior et utilior tam in divinis rebus quam in sæcularibus ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito et sapientiæ doctrina provisio sapientum eligebat, benevolus rex dispensatorem et rectorem episcopatus vel abbatiae constituerebat. Hanc nimirum observationem LVI (ex Guillelmo Malmesburensi, LII) annis

D

E

F

ante annum 1048.

non vero inter annum 1058 et 1060

(a) T. IV, p. 152. — (b) Brev. Notit. Abbat. Ital., p. 151. — (c) Chron. Roberti de Monte, ap. Pertz, Monum. German., t. VI, p. 515. — (d) T. VIII, p. 103. — (e) Pertz, Monum. German., t. VI, p. 515. — (f) T. I, p. 351. — (g) Mabillon Ann. Bened., t. IV, p. 355, et Gall. Christ., t. XI, col. 400. — (h) T. XI, col. 515. — (i) Cfr. diploma Alani, Brit. ducis, quod est ap. Mabill. Annal. Bened., t. IV, app. n. 1, p. 668. — (k) T. XI col. 515. — (l) Ibid. l. c. —

(m) Mabill. Annal. Bened., t. IV, p. 455. — (n) T. XI, col. 515. — (o) Ibid. loc. cit. — (p) Archives d'Anjou, p. 230. — (q) Cfr. Chronica S. Mich. Labbe Bibl. MSS., t. I, p. 347 et seqq. et Gall. Christ., t. XI, col. 512. — (r) D. Bouquet Rec. des hist. de Fr., t. XI, p. 75. — (s) Ibid., p. 76. — (t) Decret. Synod. gener. ac prov. dissert. præv. II de Simonia, t. IV Oper., p. 63. — (u) D. Bouquet, t. XI, p. 242.

A custodivit, quibus regimen in ducatu Normanniæ seu regno Angliæ tenuit;... Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat; et ideo in eligendis abbatibus vel episcopis non tam opes seu potentiam, quam sanctitatem et sapientiam personarum considerabat. Quibus consona sunt hæc, quæ vigilantissimus Pontifex, S. Gregorius VII, ad legatum suum in Gallis, Hugonem Diensem, anno 1081 scribebat (a): Rex Anglorum licet in quibusdam non ita religiose, sicut optamus, se habeat, tamen in hoc quod ecclesias Dei non destruit neque vendit,... cæteris regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit. Unde palam fit quam graviter Christianus falsus sit; et reapse exemplum quod assertit de episcopo Conventriensi tanquam sententiæ suæ fulcimen, non anno 1077, ut vult Lupus, sed pluribus annis post mortem Guillelmi Conquestoris accidit: de quo ipso exemplo videat curiosus lector Annales Ecclesiæ Anglicanæ ad annum 1093 num. 42 (b). Atque ex his quidem satis apparet Guillelmum Nothum seu Conquestorem non eum esse, qui sacrilegus mundinator vocitetur: quam ob rem improbabilis mihi prorsus est sententia hagiographorum Benedictinorum, eorumque sequacium Ceillier (c) et Butler in Vitis Sanctorum ad xvi Octobris (d), qui Sanctum nostrum anno 1058 ad Montem S. Michaelis advenisse statuunt. Atque hæc eorum assertio eo magis improbabilis est, quod omnino caducum est fundamentum, cui innititur. Nam, quod catalogus abbatum ab anno 1058 ad 1060 vacat, non est quod miremur, nedum quod simoniacum abbatem, ut Mabillonius opinantur num. 6 vidimus, expunctum credamus; quandoquidem nihil urgebat sæpe dictum Guillelmum, Normanniæ ducem, dein Angliæ regem, qui penes se servabat jus S. Michaelis abbatem designandi, ut quam primum eo jure uteretur, cum ita provisum esset Montis regimini, ut Ranulfus in Chronico cenobii ab anno 1053 abbas designetur (e), licet vices solummodo suppleret Radulfi abbatis, qui medio tantum anno 1058 in itinere Hierosolymitano vita functus est. Post hujus itaque mortem facile continuare poterat Ranulfus Montis gubernium; quod cæterum ab anno 1060 usque ad 1085 cum abbatis titulo rexit (f). Atque ex his satis verisimiliter statui posse arbitramur S. Anastasium paulo antea anno 1048, quo abiit Suppo, ad Periculum Maris accessisse et inde post unum annum recessisse.

C Licet certum sit S. Anastasium vere monachum fuisse in Monte S. Michaelis,

10 Secunda quæstio, quæ moveri meretur circa Anastasium nostrum, in Normannia commorantem, hæc est: fueritne novitius tantum in Monte S. Michaelis, an potius religiosæ vitæ professionem emisit? Verum cum non novitium tantum, sed et professum monachum illic fuisse, non probabile tantum, sed et certum est: nihil enim obstat, quod Gallerius scribit, nempe eum doluisse, quod in laqueum nefandi hostis pone ceciderat; cum illa locutio plures explicatus facile admittat. Eum autem verum fuisse monachum, deducitur ex eo, quod Gallerius liquido dicit eum habitum optatum illic suscepisse, et inferior ipse Anastasius S. Hugoni narrasse dicitur quomodo propter simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset, etc. Jam vero habitus monachalis saltem usque ad sæculum duodecimum non assumebatur in Gallia ante professionem: nam omissa etiam S. Benedicti regula, quæ cap. LVIII aperte id declarat, præscribit illud idem canon XXXIV concilii Aquisgranensis anni 817 his verbis (g): Novitius nec tondetur nec vestimenta pristina

immutet priusquam obedientiam promittat. Quæ quidem lex tantopere S. Anastasii tempore vigeat, ut ejus coætaneus S. Petrus Damiani in opusculo xvi vehementer exagitare non dubitet episcopum Maurum, quiasseruat virum quempiam non obligari ad servandum habitum, quem in morbo assumpsit; quam sententiam ex sacris canonibus omnimode evertit: Ecce, inquit, juxta Gelasiani decreti sententiam, quacumque occasione etiamsi nulla interveniat mora probationis, quisquis religioso habitu semel induit, funditus sibi redeundi ad sæculum licentia denegatur: quod inferius multo acrius etiam urget; unde liquet habitum monachalem id temporis assumptum tantum fuisse, cum quis, post exactum qualecumque probationis tempus, obedientiam promitteret.

11 Licet autem S. Anastasius annum tantum in Monte S. Michaelis degerit, ipse modus, quo id narrat Gallerius, alterum argumentum est: nam, cum scribit factum esse post revolutum annum, ut de abbatis simonia audiret, satis innuit eum tirocinio jam functum esse; cum S. Benedicti regula unum tantum probationis annum præscribat, nisi morum conversio nondum ea sit, quæ monacho digna dicatur, quod in Anastasio præsumi non potest. Verum audio qui sciscitentur, quid ergo abiit? Quid, relicto monasterio, in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ in ipso introitu maris, in Tumbalenia scilicet, vicina Monti S. Michaelis, solus manere cœperit, jejuniis, vigiliis et orationibus vacans? Responsio in promptu est: varix exstabant hoc tempore sententiæ circa modum quo a subditis habendi essent simoniaci præpositi; quarum una, a S. Anastasio in usu posita, ea erat, simoniacos aperte hæreticos esse et paganos noxios devitandos. Atque hæc late diducit cardinalis Humbertus tribus libris, a Martenio tomo V sui Thesauri Anecdotorum editus; in quibus palam quoque acriterque docet simoniacos a catholicis non tantum quoadusque synodaliter deponantur, sed ne quidem ad horam tolerandos esse.

12 Unde facile intelligitur quomodo fieri potuerit, ut S. Anastasius crediderit Montem S. Michaelis fugiendum sibi esse. Eandem sententiam, suadente forte nostro Sancto, videtur amplexus esse Robertus de Tumbalenia, de quo inferius paulo plura, et quem Mabillonius non dubitat eum fratrem dicere, ex quo S. Anastasius didicit abbatem simoniacum fuisse: Certe, inquit (h), hoc ipso tempore uterque (Robertus et Anastasius) vivebat in monasterio Sancti Michaelis; quin etiam maxime verisimile est Robertum comitem se dedisse S. Anastasio, quamdam insulam ingresso in ipso introitu maris, et in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ solo mansuro. Etenim hæc ultima verba non ita urgenda esse, ut omnem comitatum excludant, sed iis perhiberi sanctum virum eremiticam vitam, cum antea cenobiticam duceret, amplexum esse, facile unusquisque concedet: porro, ut inferius ex communi scriptionum quarundam interpretatione videbimus, fruebatur Robertus S. Anastasii societate, et præterea nomen de Tumbalenia ex hujus insulæ incolatu Roberto adhæsisse videtur. Nam quod insula, sancti Anastasii mansionem honestata, Tumbalenia, Tumbella seu Tumbellena est, in dubium revocari nequit, cum alia illic in introitu maris Britannici non reperitur; dein quod Robertus agnomen suum (i) eam inhabitando accepisse dicitur, ita verisimile est, ut non facile alia ratis inveniri queat. Sæculo quidem inse-

D

ut duplici probatur argumento, mirus tamen non est ejus discussus

E

in viciniam Tumbaleniam; quo cum seculo videtur Robertus de Tumbalenia.

F

(a) Lib. ix, epist. v. Labbe Concil., t. X, col. 281. — (b) Alfordii, alias Griffith, Fides reg. seu Annal. Ecc. Angl. t. IV, p. 126. — (c) Hist. des Aut. Ecclési., t. XX, p. 696. — (d) T. XVI, p. 12. Edit. Lovan. — (e) Chronica S. Michaelis, Labbe Bibl. nov. MSS., t. I, p. 351. — (f) Confer

cil. Chron., p. 348, 350 et seqq., et Gall. Christ., t. XI, col. 515. — (g) Harzheim Concil. Germ., t. II, p. 5. — (h) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. vi, part. II, p. 489. — (i) Contrarium habet Ceillier Hist. des Aut. Eccl., t. XXI, p. 46.

quænti

A quenti abbas S. Michaelis, Bernardus, prioratum aliquem illic instituit; verum id etiam temporis ita deserta erat illa rupes, ut, licet Mons S. Michaelis vix incolae aliquot admitteret, magis etiam vitæ solitariae saveret Tumbalenia: nam eo animo aliquot illic ab eo erectas fuisse cellulas tradit Gallia Christiana (a), ut illic quandoque cum selectis fratribus secedens attentius vacaret orationi. Unde satis colligitur monticulum hunc primum ab eremitis et monachis, non secus ac Montem S. Michaelis (b), inhabitatum fuisse, neque proin præsumi posse inde agnominatum fuisse Robertum, quod illic in lucem a parentibus editus foret. Neque est quod qui adversus hæc objicit basilicam, quæ illic esset Deiparæ dicata, præsupponere accolat tum illic degisse: cum satis notum sit cellulis oratoris basilicæ nomen sæpe sæpius inditum fuisse: cæterum ipsa S. Anastasii Vita, quo novimus solitarium illic eum vixisse, satis demonstrat alios nullos habitatores in exiguo illo scopulo sedem habuisse suam.

S. Anastasii et Roberti amicitiam participare cupit S. Anselmus; B

13 Quam sancte autem illic ambo degerint, colligere licet ex epistola III libri I S. Anselmi (c) inscripta: Domino dilectissimo, reverendo monacho Roberto, frater Anselmus Becensis, inter sancte conversantes tantum minimus; quam communis eruditiorum sententia ad Robertum de Tumbalenia datam fuisse ut certum habet: quod ut constet appellare suffecerit Mabillonius in Annalibus (d), scriptores Historiæ literariæ (e), Ceillier (f), Butler in Vita S. Anastasii, etc. Quam vero fundata sit ista conjectura facile quotusquisque videbit, qui insperet locorum, temporum, personarumque adjuncta: quocirca minime quoque dubitamus quin Anastasius noster laudetur in sequentibus S. Anselmi epistolæ verbis: Age ergo, vir venerabiliter amabilis et amabiliter venerabilior; certus esto, dum vivo, de hac nostra voluntate, et sollicitus esto de perficienda in me, quæ tua erit, charitate. Si enim oraveris pro proximo, scio verum esse quod tibi retribuetur.... Quod ut efficacius efficias, precor, obsecro, ut illi sancto viro Anastasio, cujus desiderabili societate frueris me commendando, quantum absentem potes, notum facias, ut et illum amicum tuum mecum communices, et me servum tuum cum illo participes. Quatenus ex hac die dum vivimus per te et tecum et ego illum venerer amicum alterum Robertum; et ille possideat servum eundem Anselmum. Quia enim non sum dignus, non audeo petere, quod tamen velle præsumo; ut ego velut alter Robertus utar eodem Anastasio, et ipse me fruatur quasi altero Roberto: cujus bonus odor jam per multos hujus patriæ suaviter diffusus, quanto delectabilis animæ meæ fragrat, tanto ipsa ad ejus amicitiam et notitiam ardentius flagrat. Quas jam, ex quo vitam ejus audivi, habeo et amplector, quantum possum; et oro oret et ipse mecum, ut tanto nobis crescant, quantum in Deo crescere possunt. Ambo, charissimi, valete. Obsecro, in Babylonia sentite id ipsum; ut in Hierusalem participetis in id ipsum. Non hoc dico quasi timens vobis aliquando discordiam venire; sed vere cupiens a vobis numquam concordiam abire. Sic S. Anselmus ad Robertum de Tumbalenia; qui ex sequenti numero melius etiam dignoscetur.

14 Etenim is est Robertus, qui usque ad an. 1066 aut in Monte S. Michaelis aut dein in Tumbalenia monachus fuit, unde in præpositura S. Vigoris

Robertus, hortante, ut videtur, nostro Sancto, scribit commentarium in Cantica Canticorum;

(a) T. XI, col. 518. — (b) Beaunier Rec. des archevêchés, etc., t. II, p. 726. Cfr. annot. f ad Vit. S. Anst. infr. — (c) Oper. Omn., p. 312 et seq. Edit. 1675. — (d) Ad annum 1048, § XLIII, t. IV, p. 456. — (e) Hist. litt. de Fr. t. VIII, p. 163. — (f) Hist. des Aut. Eccl., t. XXI, p. 46. — (g) Annal. Ord. S. Bened., lib. LXIX, § XLIV, t. V, p. 345. — (h)

D Bajocensis assumptus est, et qui, cum Odo episcopus Bajocensis in Anglia carceris mœrorem sustineret, Romam profectus est; ubi, a S. Gregorio VII Papa detentus honorifice, usque ad mortem ipsius Pontificis Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ, ut Mabillonius (g) et Gallia Christiana (h) tradunt ex Orderico Vitali lib. VIII Historiæ ad annum 1087 (i). Præterea Robertus, ut idem Ordericus declarat (k), inter reliqua peritiæ suæ argumenta, brevem et luculentam, sensuque profundam super Cantica Canticorum Expositionem in Ecclesia dimisit: quæ ad sanctum nostrum nonnihil spectat. Verum enimvero quantopere jam disceptatum fuerit de hac Expositione, apud plurimos videre licet, imprimis apud Oudinum in Commentariis de scriptoribus Ecclesiasticis (l). Nunc autem prævalet apud doctos sententia (m), Expositionem, quæ pridem sub S. Gregorii Magni nomine circumlata fuit, quam iterum edidit Oudinum, et cujus prologum Mabillonius in Analectis (n) publici juris jam ante fecerat sub Roberti de Tumbalenia nomine, reapse fetum esse hujus Roberti. Quod vero propius ad rem nostram pertinet, Mabillonius in edenda S. Anastasii Vita suspicatus est hanc Expositionem suadente Anastasio nostro scriptam fuisse, quoniam prologus hæc habet verba: Mihi tamen amico tuo crede, quod hunc quem tibi mitto libellum, rogatus cœpi, multotiens admonitus perfecti. Rogavit me dominus Anastasius dilectissimus frater et dominus meus; admonuerunt vero cum illo et alii multi, non tantum pensantes mihi innatam stultitiam, quantum amantes tam secretorum verborum qualemcumque sibi clarere peritiam. Quod tam timide proposuerat Mabillonius in Actis Sanctorum, audacius dein affirmavit in Annalibus ad annum 1048 (o), et post eum scriptores Historiæ literariæ Galliæ (p). Quibus assentiendum esse ducimus.

15 At quædam quoque scriptio exstat, quæ ipsi nostro Anastasio a pluribus tribuitur: en ut Ceillier (q) magnam hujus controversiæ partem exponat: Parvum tractatum de Eucharistia, qui epistolæ rationem referat, nobis reliquit S. Anastasius. Aliquamdiu tributus fuit (a) Dacherio scilicet in notis ad Lanfrancum (r) et a Dupin in Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum (s)) cuidam monacho S. Sergii Andegavensis, duas ob causas: I quoniam Ms. codex, unde eum descripsit Dacherius, in S. Sergii monasterio servabatur; II quoniam iste tractatus inscriptus erat GERARDO abbati S. Albini ejusdem civitatis. Sed notetur necesse est, nomen GERARDUM in Ms. non integrum legi, sed initialis tantum apparet littera G, et in alio Ms. codice loco G legi W; quod Willelmum aut Guillelmum potius quam Gerardum denotat. Quamobrem Mabillonius in Annalibus lib. LIX § LXXX (t) æstimat libellum scriptum fuisse ad Willelmum abbatem Cormeliensem, olim monachum Becensem, atque ex hoc forte tempore Anastasio notum. At tertia sententia, quam secuti sunt Benedictini sodales, qui S. Anselmi opera edidere, adscribit illud opus S. Anselmo, et illud G. Gislebertum esse interpretantur; verum hæc interpretatio pugnat cum Ms. codice, de quo Mabillonius, et totam epistolam talem non esse qualem S. Anselmus ad Gislebertum scripsisset, perspicit unusquisque, qui eorum ætatem, et familiarem verecundamque consuetudinem attenderit; quod ex S. Anselmi epistolis facile factu est.

sed ipse S. Anastasius

F

T. XI, col. 404. — (i) Cfr. D. Bouquet, t. XII, p. 626. — (h) Ibid., l. c. — (j) T. II, col. 768 et seq. — (m) Cfr. Hist. litt. de Fr., t. VIII, p. 338. — (n) P. 128 Edit. posterior. — (o) T. IV, p. 456. — (p) T. VIII, p. 163. — (q) Hist. des Aut. Ecclés., t. XX, p. 697. — (r) P. 21. — (s) Bibl. des Aut. Ecclés., t. VIII, p. 11. — (t) T. IV, p. 471.

A
non scriptis-
se videtur
Epistolam de
S. Eucharis-
tia.

16 Propterea tamen non ii sumus, qui raptim sequamur Ceillier, Butler, et scriptores Historiæ literariæ Galliarum. Dispicet enim eorum promptitudo, qua se Mabillonii sequaces autumant, cum plane tamen affirmant S. Anastasium illud opusculum condidisse, licet Mabillonius hic denuo duplicem sententiam inierit, in *Analectis* (a) re quidem vera indubitanter hunc libellum S. Anastasio adscribens, sed in *Annalibus* (b), ubi multo accuratior esse solet, quam cautissime de hac re loquens, adeoque verisimiliter, ut videtur, hanc descriptionem S. Anastasii esse conjectans. Neque iterum est argumentum, quod *Historiæ literariæ* scriptores eruant ex enumeratione *Sanctorum Patrum*, quos fidei catholice testes adducit auctor anonymus; aiunt scilicet hoc eruditionis specimen, si conferatur cum doctrinæ laude quam Sancto nostro impertit ejus biographus, et expendantur locorum et temporum adjuncta, non relinquere spatium inquirendi alius Anastasii, cui hoc opusculum assignetur. Verum cum gratis omnino supponatur littera A. Anastasium designari, gratis quoque omnino negatur, quidquid tali superstruitur fundamenti. Et præterea si attenditur S. Anastasium unum tantum annum in Monte S. Michaelis degisse, et deinde in Normanniæ et Britanniarum oris solum mansisse, ut loquitur biographus, non intelligitur quo pacto alicui epistolæ unquam præmittere potuerit: Domino G. abbati, olim CARISSIMO FILIO, nunc Deo propitio venerabili patri frater A. Quamobrem ob ipsum titulum Sancto nostro abjudicari posse arbitramur hanc epistolam, quæ in lib. IV epistolarum S. Anselmi (c) est, quamque legere licet apud Dacherium in notis ad Lanfrancum (d) et apud Bulæum in *Historia Academiæ Parisiensis*. Jam vero si quaeratur cujus tandem sit, malo ignorantiam fateri, quam minus prudentem esse. Satis fuerit dixisse opusculum illud scriptum fuisse a viro docto atque orthodoxo ad abbatem quemdam, ut videtur, Normanniæ, qui ei jusserat ut quidquid crederet de corpore et sanguine Domini, sibi patefaceret. Scripsit ad eum monachus eximiorum doctorum testimonia, quatenus abbati satisfaceret se vel optime credere, vel solerti vigilantia vel sagaci perquisitione hæc indagasse. Quæ verba inducere Dacherium, Bulæum et Dupin ad æstimandum hoc opusculum pristini erroris ejurationem esse. Feliciorem forte secuti fuissent sententiam, si opinati essent anonymo auctori dubium fuisse, quid intenderet venerabilis suus pater, velletne in fidem suam inquirere, quod ubique Berengarii nomen streperet, an vero in hujus assecclas aliquod novum vibrari telum: quæ quidem ex epistola illa elicere licet, nihil vero quod errorum ejurationem sapiat. Atque hæc de gestis, quæ sancto nostro Anastasio, in Normanniæ versanti, affiguntur. Nunc superest ut inquireamus, quando inde pedem retulerit.

Mansit probabiliter S. Anastasius in Tumbalena usque ad annum 1067 ut paulo tardius.

17 Verum cum ex ejus grapho Galterio num. 4 tantummodo noverimus beatum eremitam aliquanto tempore in Tumbalena vita eximie conversationis claruisse, donec Hugo, Cluniacensis abbas, cenobia sua visitans, illac transiret, liquet quidem præsentis quæstionis nodum solutum iri, si alicunde sciretur, quo anno cenobia Normanniæ visitaverit S. Hugo; ast S. Hugonis vita, licet maximis negotiis, posteriore sæculi undecimi parte transactis, illigetur, ita a pluribus conscripta est, ut nulla fere chronotaxis inde componi queat. Hildebertus quidem, *Cenomanensis præsul*, cap. III Vitæ S. Hugonis scripsit: Consolationis gratia pius pater loca visitare consueverat, quæ monasterium Cluniacense con-

tingant (e); et jam suo tempore monasteria aut saltem possessiones Cluniacensi cenobio fuisse in Normanniæ declaravit ipse sanctus Hugo abbas in *De preceptorio*, quod ipse ultimis suæ vitæ temporibus conscripsit, et bibliotheca Cluniacensis (f) continet. Ast quo præcise anno illa acquisierit, mihi indaganti reperire non licuit, neque proin ulla temporis nota inde ex petenda venit.

18 Alio itaque vertendus est stylus: ex epistola S. Anselmi, quam superius ad Robertum de Tumbalena scriptam fuisse æstimavimus, certo eruitur S. Anastasium anno 1059 in vicinia Montis S. Michaelis fuisse, quandoquidem Robertus in ea dicitur desiderabili societate Anastasii frui et ambo valere jubentur. Porro Anselmus se minimum inter monachos Becenses, (ut se inscribit), ante prædictum tempus nuncupare non potuit, quoniam in fine tantum illius anni Becum ingressus est, ut unicuique chronotaxim Vitæ S. Anselmi volenti sine mora patebit. Quocirca ille me non dissentientem habebit, qui illam epistolam anno 1060 aut tardius scriptam fuisse suggeret, dummodo annum tamen 1066, quo Robertus de Tumbalena ad præposituram S. Vigoris assumptus est, non excedat. Sane circa hæc tempora sæpius in Pictavensem agrum venisse videtur S. Hugo, cum de stabiliendo Novo-Monasterio ageretur, ut ex his liquet quæ sæpius in *Commentario de SS. Amando et Juniano* num. 19 exposita sunt. Unde facile excurrere potuit in monasteria Normanniæ et Armoricæ, non ita disjuncta. Aliud autem spatium aptius non occurrit, siquidem in catalogo abbatiarum et prioratum Bibliothecæ Cluniacensis (g) inserto, nullum asceterium mihi obviat, quod adire debuisset, aut adisse noscatur S. Hugo ante annum 1070, quo tempore dubium non est, quin S. Anastasius Cluniaci jam versaretur.

19 Ascendendum tamen esse saltem ad ann. 1067 aut alium propiorem, ex eo colligitur quod circa hoc tempus Guillelmus Nothus, Normanniæ dux, nondum S. Hugonem viderat, licet eum summo opere videre cuperet: quod duplex assertum petitur ex Bibliotheca Cluniacensi (h). Istic quippe narratur hunc ducem incredibili reverentia excepisse S. Hugonis benedictionem, quam sibi Warmundus abbas, tamquam legatus deferrebat antequam sancti Cluniacensis abbatis colloquio frui potuisset. Cum vero Warmundus, qui illic abbas dicitur, circa annum 1067 abbas Dolensis factus sit, inde quoque sequitur S. Hugonis iter et Anastasii nostri in Cluniacum discessum ad hæc tempora differenda videri. Atque exhinc probabile fit S. Anastasium viginti circiter annos in insula Tumbalena vixisse, quandoquidem superius monstravimus eum ante annum 1048 e Monte S. Michaelis abiisse. Neque multo longius esse potest hoc spatium, quoniam inferius videbimus Anastasium circa annum 1073 in Hispaniam missum; quod non factum videtur, antequam commorationem suam aliquot annos Cluniaci protraxisset. Similiter initium ejus vitæ eremiticæ non multum differenda est ante annum 1048, quoniam secus, cum in Montem S. Michaelis advenit, non ita sopita esse potuisset memoria inibi a Suppone gubernii, quam ut post annum tantum de eo audiret Anastasius.

20 Quod vero S. Anastasius post migrationem Supponis et melioris abbatis adventum pristinum suum cenobium non repetiit, sed eremiticam suam vitam protraxit, ratio absque dubio est, quod his temporibus vita eremitica sanctorum meliorque habebatur; cujus sententiæ tum vigentis ipsum S. Petrum Da-

D

ut ex Vitis
SS. Anselmi
et Hugonis

E

crui tenta-
tur.

F

Cur S. Anastasius post Supponis ejectionem non repetiit suam abbatiam. Recapitulatio chronologica.

(a) P. 129. Edit. poster. — (b) Lib. LIX, § LXXX, t. IV, p. 471. — (c) Opera S. Anselmi, p. 452. Edit. 1675. — (d) P. 21.

— (e) Oper. Hildeberti Cenoman., Col. 921. — (f) Col. 493 et seqq. — (g) col. 1751. — (h) Col. 453.

miiani

A miani lib. VI, epistola XII testem dicit Ceillier (a), eamque B. Simonem, comitem Crispensem, secutum fuisse tradit ejus biographus (b). Quæ omnia ut paucis contrahamus, summe verisimile est S. Anastasium, circa annum 1020 natum Venetiis et in patria bonis litteris laudabilissime eruditum, ante annum 1048, Suppone abbate, ad Montem S. Michaelis devenisse, atque inde non multo post exactum tirocinii annum et assumptam monachalem vestem in vicinam rupem Tumbaleniam cum amico suo Roberto recessisse; ubi cum degeret, S. Anselmus ejus laudes ad socium Robertum scripsit amicitiamque postulavit; Robertus vero, amico hortante, Commentarium in Canticum Canticorum condidit, ipse autem Anastasius, qui inde circa annum 1067 Cluniacum abiisse videtur, nequaquam scriptiunculam quamdam de sacra Eucharistia, ut quidam scriptores voluerunt, exaravit. Hactenus de priori parte vitæ S. Anastasii.

§ II. S. Anastasius Cluniacum petit; quaeritur quo anno et cur a S. Gregorio Papa VII in Hispaniam missus sit; an ad prædicandum Sarracenis? Mors et Reliquiæ S. Anastasii.

S. Anastasius mittitur Cluniaco in Hispaniam,

Cum itaque S. Hugo circa annum 1067, aut paulo serius in Normanniæ tractum advenisset, et per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum S. Anastasio refulisset, ei tandem persuasit ut secum Cluniacum pergeret. Cum vero in hac sanctitatis palæstra plures annos, ut ex narrandi Galterii modo elucet, sese exercuisset, ad amussim regulam sequens et multa ei jejunia, vigiliæ, genuflexiones, et orationes nocturnas superaddens, exercuisset, præcepto sancti patris nostri Papæ Gregorii septimi et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ingressus est, ad prædicandum, inquit Galterius num. 5, Sarracenis; quod quo sensu intelligendum sit, quove tempore id factum sit, disquirendum jam est. Cum autem iterum hoc loco ab Hagiographis Benedictinis dissentirendum sit, quid de his senserint prælaudati scriptores consignandum est, ne inauditi judicentur: Aliam, inquit num. 3, deprehendimus notam ex Beati Anastasii vita repetitam, scilicet ex ejus in Hispaniam profectio, quam jubente Gregorio VII summo pontifice, et mittente Hugone abbate Cluniacensi, ab eo susceptam fuisse testatur idem Vitæ auctor. Hoc autem iter anno circiter MXXIV consignamus, scilicet paulo post Alfonsi regis restitutionem, cum Gregorius jam secundum pontificatus sui annum attingisset. Non enim Anastasium ex iis fuisse censemus, quos postea Sanctus Hugo in Hispaniam transmisit, ut ibi disciplinam monasticam restaurarent. Isti nempe in Hispaniis permanserunt, variis monasteriis de novo construendis, aut certe veteribus restaurandis intenti; quorum etiam plerique ad episcopales infulas evecti sunt. At Anastasius eo solummodo profectus fuerat, ut Sarracenis Christi Euangelium nuntiaret; hinc, cum se incassum labore advertisset, in Gallias repedavit. Quæ quomodo vera sint, non inutile erit expendisse, quoniam nonnullam lucem inde af-

fundi posse arbitror parti historię monasticæ in Hispania, aut si mavis, ipsius historię ecclesiasticæ.

22 Non tamen est quod in examen vocemus universam disputationis seriem, quam multis jam exagavit P. Joannes Franciscus Masdeu in Historia critica Hispaniæ (c). Absurda quippe nimis est, quam ut refellatur, quorundam assertio, qua vita monastica primum in Hispaniam invecta prædicatur ineunte sæculo undecimo a monachis Cluniacensibus. Num vero hoc tempore, scilicet regnante Alfonso Majore, celeberrimi ii monachi quædam monasteria illic occupaverint, quum multis quoque disputetur a prælaudato P. Masdeu, qui negantem sententiam adstruens adversariorum simul profert argumenta, in quæstionem iterum vocare non libet; verumtamen si admittatur monachos Cluniacenses, Alfonso Majore rege, in Hispaniam non advenisse, caveat tamen lector ne Cluniacenses Hispania excludat usque ad tempora Alfonsi Magni, aliis VI dicti: qui recentium quorundam scriptorum error est. Hujus enim Alfonsi pater, superioris Alfonsi filius, qui apud plurimos Fredelannus, vulgo autem Ferdinandus dicitur, monasterium Cluniacensi et ejusdem monasterii monacho, Atoni nomine, ecclesiam Sanctæ Agathæ, cui deinde Alfonsus VI monasterium adjecit, dedit atque concessit, additis in censum annuum nonnulla pecunia, et usu prædiorum. Ipsum instrumentum legis in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem (d). Omnium vero maxime Cluniacenses promovit in Hispania sæpius laudandus Alphonsus VI, de quo sic Petrus Venerabilis in fine libri i Miraculorum (e): Præter hæc (censum annuum) duo monasteria in Hispaniis ex propriis construxit, alia a quibusdam aliis personis construi permisit, et ubi construerentur adjuvit: in quibus Cluniacenses monachos ponens, et unde omnipotenti Deo regulariter servire possent, regia liberalitate affluenter largiens. Et pene mortuam monasticam religionis fervorem ex parte in Hispaniis reparavit. At jam propius res inspicienda est.

23 In primis certum est extremis annis pontificatus Alexandri II, et præsertim eo tempore, quo S. Gregorius VII Ecclesiæ gubernacula tenuit, id est ab anno 1073 usque ad annum 1085, semel et iterum Cluniacenses in Hispaniam abiisse; at ne in latiore campum excurramus, juvat intra breve spatium totam concludere quæstionem, quæ in hoc fere versatur: quinam comites fuerint Hugonis Candidi, cum a S. Gregorio in Hispaniam deputatus fuit. Plures e comitatu excludunt quemdam Robertum, eumque ante annum 1070 in Hispaniam ad Alfonsum regem mittunt, cum tamen Alfonsus tum esset in carcere; alii, ut Sandovalius (f), Robertum et Marcellinum Hugoni socios addunt, et excludere videntur S. Anastasium, aut alium quemcumque. Qua super re primo exhibendum videtur fragmentum litterarum, quas integras edidit Dacherius (g). In hoc quippe fragmento, quod ipsius Alfonsi VI ad S. Hugonem conscriptum opusculum est, ita quæstionis cardo vertitur, ut ex ignorantia temporis quo scripta sit, necessario multi orti sint errores, etiamnum vigentes; en illud fragmentum: Quanta te, gloriosissime pater, devotione diligam, melius, ut deuto, ipse cognoscis, quam aliquis doctor in charta scribere possit; * Robertum, quem super omnes monachos teneo excellentiorem et cariorem, vestrumque ex intimo

ubi Cluniacenses aliquot jam pridem degebant.

Ex epistola Alfonsi VI regis Castellæ et Legionis

* supplet Mabillonius: ad te remitto

(a) Hist. des Aut. Ecclési., tom. XX, pag. 530. — (b) Act. SS. Ord. S. Benedicti, sæc. vi, part. II, p. 379. — (c) Historia critica de la España, tom. XV, pag. 252 et seqq.

(d) Col. 463. — (e) Biblioth. Cluniac., col. 1296. — (f) Chron. general de España, tom. XI, p. 100. — (g) Spicileg., t. III, pag. 407. Edit. poster.

corde

A corde fidelissimum confratrem, scientem qualiter tuus amor factus est mihi velut ignis tota die et nocte ardens in corde meo; unde si omnia mihi dedisses, quæ in mundo habere potes, puto nihil esse ad comparationem illius boni, quod causa mei particulam tui gregis, quem spirituali fovisti manu, in nostris partibus misisti. Quapropter gratia Domini te illuminante, ego servus servorum Dei, omnino tuæ subjectus pietati, magis ac magis deprecor paternitatem, ut in bono quod cœpisti perseveres, quatenus aliquos tuæ sanctissimæ religionis domesticos mittere digneris, et ut illud nostrum et vestrum locum, quem tuo sanctissimo fonte incepisti rigare, repleant tua dulcedine, dum in hoc fragili moveor.

quæ non anno 1070,

24 Lucas Dacherius, qui illas litteras Alfonsi ad Hugonem edidit, affigit, huic scriptioni annum 1070; quod nimia fiducia admisit Mabillonius in suis Annalibus (a) ad hunc annum. Verum erroneum esse hunc calculum ostendit primo ipse epistolæ finis, qui sic sonat: De Romano autem Officio, quod tua jussione accepimus, sciatis nostram terram admodum desolatam esse; unde vestram deprecor paternitatem, quatenus facitatis ut dominus Papa nobis suum mittat cardinalem, videlicet domnum Giral dum, ut ea quæ sunt emendanda emendet, et ea quæ sunt corrigenda corrigat. Vale. Etenim talia anno 1070 scribi non potuerunt; quandoquidem Giral dum non anno 1070, sed anno tantum 1072 ab Alexandro II cardinalis creatus sit, ut unanimi voce asserunt: Wion in Ligno Vitæ (b). Ughellus in Italia sacra (c), Ciaconius in Vitis summorum Pontificum (d), etc.: unde saltem dicendum foret, hanc epistolam non ante annum 1072 fuisse scriptam. At hic sistendum non est, quoniam etiam tardius scriptam fuisse constat.

sed in priori parte anni 1075 scripta est,

25 In citata scilicet Alfonsi epistola hæc alia quoque prostant verba: Ad hæc scito, sanctissimo loco Cluniacensi solitus erat dare (vide hujus Commentarii prævii num. 22.) ego annuente Deo, in diebus vitæ meæ duplicabo. At universi Sancti Hugonis biographi conveniunt in assignanda hujus duplicationis causa certo alicui facto, certoque anno. Unus pro reliquis audiatur Hildebertus Cenomanensis episcopus, quem vel in suis operibus (e), vel in Opere nostro ad diem XXIX Aprilis (f), vel in Bibliotheca Cluniacensi (g) latius consule, nos autem hic breviamus. Postquam itaque biographus ille narravit, quo pacto Alfonsus per episcopum, a B. Petro missum, liberationis suæ diem instare, et Sanctius ab eodem Apostolo in somniis monitus fuisset, ut fratrem suum e carcere liberaret; postquam insuper insinuavit hæc beneficia, (quæ tamen Rodericus Toletanus (h) Petro Usserio comiti, et Urracæ sorori adscripsit.) ad preces S. Hugonis cælitus data fuisse, subjungit: Sic Ildefonsus et sibi pariter et regno restitutos, ut liberatorem suum videre et colloquio ejus donari mereretur, destinatis apicibus imploravit; qui apices aut litteræ absque dubio respiciunt supra recitatam epistolam. Deinde sic pergit: Impletur votum potestatis... Exultat rex.... Qui ne intercessoribus suis ingratus aliquando videretur, duplicato censu paterno ducentas (variant in hoc numero S. Hugonis biographi) auri uncias Cluniacensi cœnobio quotannis disposuit assignari, diem utriusque exitus et de carcere scilicet et de corpore cele-

brems habere desiderans. Ita vir Dei cum prædicta remeans pecunia, adducebat Maurum, etc.

26 Verum hæc non uno eodemque tempore facta sunt: anno enim 1070 Alfonsus, sive Ildefonsus a Sanctio suo fratre in prælio captus fuit, et in carcere reclusus; istic tamen non diu delituit: nam paulo post memoratam Sanctii visionem fuit inde extractus, non ut libertati restitueretur, sed ut custodiretur in monasterio SS. Facundi et Primitivi, atque illic monachalem vestem indueret; quod non proposito, sed timore fecit, ait Rodericus. Ast hæc vana et minus stricta vincula non obstiterunt, quin anno 1071 effugerit Alfonsus, petieritque aulam regis Toletani, quocum permansit, donec frater suus misere occisus est ineunte, ut videtur, anno 1072. (Vide de dubia hac ætate Historiam regum Castellæ et Legionis Sandovalii (i)). Cum autem tantum post hanc eadem ad finem mensis Octobris, ut Sandovalius (k) tradit, Alfonsus regno Legionis atque Castellæ potitus sit, et se regem Hispaniarum dicere potuerit, necesse est ut prædicta epistola, in qua se regem Hispaniarum nuncupat, non ante hoc tempus fuerit scripta: quin etiam inter regni adeptionem et hujus epistolæ scriptionem non nullum interval- lum cucurrit; necesse quippe fuit, primo ut summus Pontifex, qui S. Hugoni jubendi jus dedit, (ait enim Alfonsus: Quod tua jussione accepimus, scilicet jubente S. Hugone nomine Pontificis,) eadem Sanctii et Alfonsi in regnum restitutionem resciverit, dein ut pontificium mandatum ad S. Hugonem pervenerit, et demum ut hic scripserit ad Alfonsum, atque ut Alfonsus hanc jussione exsequi tentaverit, ejusque viderit fructus; quibus negotiis tres saltem menses assumpti fuerint. Quæ ita presse sumpta ad initium saltem anni 1073 prædictam Alfonsi epistolam referrent.

27 Accuratius adhuc determinari potest hujus scriptionis tempus, et quidem ex his jam supra recitatis verbis, quibus Alfonsus S. Hugoni significat in ditionibus suis magnam desolationem exortam esse ob introductum Officium Romanum; seque propterea ab eo efflagitare, ut curet cardinalem Giral dum a Pontifice in Hispania mitti, qui emendet quæ emendanda repererit, et corrigat quæ crediderit corrigenda. Quæ verba si conferantur cum epistola S. Gregorii VII data ad Giral dum Ostensem et Raimbaldum subdiaconum ii kalendas Maii anno 1073 et cum altera ejusdem Pontificis data ad eundem Giral dum kalendis Julii ejusdem anni, uno tantum pacto ea explanari posse penitus mihi persuasum est. Giral dum videlicet ab Alexandro II, qui die XXI Aprilis anni 1073 obiit, in Gallias et Hispaniam legatus fuerat cum Raimbaldo. Mense Maio versabatur in Gallia, ubi receperit priorem, de qua modo dixi, S. Gregorii epistolam, quæ sexta libri I apud Labbeum est (l) et in qua S. Gregorius sic loquitur: Præterea hæc meminisse debetis quod in litteris quoque domini nostri beatæ memoriæ Alexandri et nostra quoque legatione orati et commoniti fuistis, quatenus causi Evuli comitis de Rocceio per vos et per antedictum abbatem (Hugonem Cluniacensem) favorem addere insisteretis; et cognita pactione, quam nobiscum de terra Hispaniæ pepigit in scripto, quod sibi dedimus, una cum consilio abbatis, tales illic personas dirigi procuraretis, qui et errorem Christianorum, qui ibi reperiantur in spiritualibus corrigere saperent... Vos autem ex nostra parte rogate abba-

D

ut, discusso ordine chronologico aliquot gestorum Alphonsi regis,

E

S. Gregorii VII

F

(a) Lib. LXIII, § LXXII, t. V, p. 29. — (b) T. I, p. 221. — (c) T. I, col. 59. — (d) T. I, col. 838. — (e) Col. 917. — (f) Act. SS., t. III April., p. 637. — (g) Col. 419. (h) De reb.

Hispan., lib. vi, cap. xv. Collect. Pat. Toletan., t. III, p. 130. — (i) Chron. general de España, t. XI, p. 110. — (k) Ibid., p. 120. — (l) Collect. Conc., t. X, col. 9.

tem

A tem, ut tales sibi (*Hugoni Candido cardinali*) adjungat, qui eum comitentur, quorum consilio et adiutorio iter et laborem illum fiducialiter aggredi possit, legatione tamen in eo principaliter posita. Extra Hispaniam vero nullius umquam publici rerum ecclesiasticarum negotii sine vestro consensu, quamdiu vos in Gallia fueritis, licentiam sibi (*Hugoni Candido*) dedimus faciendi. Mandat deinde sanctus Pontifex, ut ipse *Giraldus* vel continuo Romam revertatur, vel suæ moræ rationem reddat.

et legati Hugonis Candidi, probatur,

28 Pontificis jussa extemplo perfici cepta sunt. In Hispaniam profectus est *Hugo Candidus* cum *Roberto* monacho Cluniacensi, atque aliis sodalibus, quos inter sine dubio Sanctus noster *Anastasius*, ut ex inferius dicendis satis constabit. Acriter promovit *Hugo Candidus* et plerique Cluniacenses demandatum sibi opus: unde Hispanorum (*Castellanos* et *Legionenses* intelligo) animi vehementer sunt commoti; *Robertus* vero blanditiis devinciebat sibi regem, et simul abolitionem ritus Mozarabici impediabat: quod *S. Gregorii* epistolæ II et III libri VIII apud

B Labbeum (a) certum faciunt. Interea morabatur etiamnum in Gallia cardinalis *Giraldus*, Gallicanæ Ecclesiæ negotiis occupatus, atque inter alia severiorem se gerens erga archiepiscopum Ausciensem: quod ex epistola *S. Gregorii*, quæ apud Labbeum XVI libri I (b) est, novimus. Agebatur tum vel finis mensis Maii, vel initium mensis Junii anni 1073. Atque eidem tempori annectenda est epistola *Alfonsi* ad *S. Hugonem* Cluniacensem, qua, ut vidimus, postulat ut curet *S. Hugo*, ne renuat dominus *Papa* suum mittere cardinalem *Giraldum*, qui melius ordinaret, quæ ad officium Mozarabicum spectabant. Cum id rescivit *Giraldus* statim in Hispaniam profectus est. Atque hæc profectio per *Giraldi* litteras vel per episcopos Gallias, quos durius habuerat, kalendis Julii indictione undecima, id est, anno 1073 Romæ jam innotuerat: cujus assertionis irrefragabile argumentum est memorata *S. Gregorii* epistola XVI libri I, in qua post nonnullas objurgationes, quod gesta sua in Gallia non satis declaraverat, hæc habemus: Nobis equidem gratum est, quod pro negotiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Hispanias profectus es. Verisimiliter *S. Hugo* tum comitatus est *Giraldum*, et duplicem, de quo diximus, censum ab *Alfonso* accepit: ocus saltem in Hispaniam non est profectus. Quod ad tempus *Giraldi* itineris spectat, nihil est quod nos moretur

C *Flores* (c), qui *Giraldum* ad annum 1071 aut 1072 inducit in Hispaniam. Nam ad id inductus videtur ob id unum quod anno 1074 Romano Concilio interesse vidit episcopos Hispanos. Verum hanc difficultatem solvit ipse *S. Gregorius*, cum in epistolis, ad *Alfonsum* Castellæ et *Sancium* Navarræ reges XIV kalendas Aprilis indictione XII, seu anno 1074 datis (d), scribat episcopos Hispanos, qui NUPER Romam venerant per scripta sua se id facturos (amplexuros ritum Romanum) et in manu sua firmasse. In fine hujus chronotaxis liceat mihi repetere, præmisso modo omnia bene inter sese consonare, secus vero creari labyrinthum.

constat *S. Anastasium* anno 1073 in Hispaniam profectum esse cum *Hugone* *Candido*.

29 Porro *S. Anastasium* socium fuisse *Hugonis Candidi* et *Roberti* Cluniacensis, in Hispaniam proficiscentium, nobis constare superius jam diximus. Et quidem novimus ex *Galterio*, ejus biographo, eum præcepto sancti patris nostri *Gregorii* septimi, et trina persuasione venerabilis viri abbatis

sui *Hugonis*, Hispaniam... ingressum esse (e). Jam vero duo tantum *S. Gregorii VII* præcepta noscuntur, quæ ad Cluniacensium in Hispaniam profectionem vel commorationem spectent. Prius illud idem est, quod num. 27 retulimus, et quo aliquot monachi comites dandi erant *Hugoni Candido*; alterum exstat in epistola III libri VIII apud Labbeum (f), anno 1080 data ad *Alfonsum* regem Castellæ et *Legionis*, et multo clarius in epistola II ejusdem libri (g), data ad *S. Hugonem* Cluniacensem v halendas Julii indictione tertia, seu anno 1080. In hac graviter perstringitur *Robertus*, quod Hispanos ab Officio Romano recipiendo dehortatus est, et ab introitu ecclesiæ arcetur; mandatur præterea *S. Hugoni* ut sui etiam studii sit, ut monachi, in eisdem partibus Hispaniæ injuste dispersi, ad proprium redeant monasterium: ex qua dictione: injuste dispersi, manifestum est alios Cluniacenses monachos in Hispaniam secessisse absque jussu Pontificis, dum alii illuc tetendissent ex ejusdem, ut vidimus, mandato; atque his, cum cardinali *Hugoni*, ut demonstravimus, profectis socium se dederit oportet *S. Anastasium*, utpote præcepto *S. Gregorii VII* in Hispaniam ingressus. Quamobrem cum legatus, cardinalis *Hugo* medio circiter mense Maio anno 1073 profectus fuerit, huic tempori, non anno sequenti, ut voluere *Hagiographi* *Benedictini*, attezendus est *S. Anastasii* abitus.

30 At biographus scribit *Anastasium* non ad abolendum ritum Hispanicum, sed ad prædicandum Sarracenis missum fuisse. Verum cum *Galterius* saltem quadraginta annis post *S. Anastasii* missionem opusculum suum aggressus sit, quam facile ei fuit in uno errare facto? Quanto facilius si in alio regno illud acciderit, potissimum in Hispania, de qua cum mediis avi scriptores Galli agunt, stocci fere fit eorum fides? Verumtamen non idcirco in animum mihi inducam asseverare, nihil veri sub *Galterii* verbis latere; ecce quid apud me verisimile sit: ad *Galterium* relatum fuerit *S. Anastasium* missum fuisse a *S. Gregorio* in Hispaniam, ut Mozarabes permoveret ad ritibus suis valedicendum; confuderit autem *Galterius* Mozarabes cum Arabibus seu Mauris, atque inde illorum ritus cum ritibus impiis Sarracenorum. Quod vero *Galterius* num. 5 narrat *Anastasium* ad probandum certitudinem fidei Christianorum... per ardentem rogum post celebrata Missarum solemniam transire voluisse; sed Sarracenos conditioni ejus noluisse acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad Baptismi gratiam confugerent, minime est cur molestiam creet. Grandis enim probabilitas est *Galterium* hoc loco et *Rodericum* *Toletanum* lib. VI, cap. XXV *Historiæ Hispaniæ* (h) de eodem agere facto. Narrat scilicet *Rodericus* per monomachiam et ignem librum officii *Toletani* probatum fuisse. *Rodericum* autem in enarrandis circumstantiis falsum fuisse si asseruerim, nihil a sententia peritorum absonum protulero, cum jam nonnulli eruditi scriptores integrum *Roderici* testimonium in dubium vocaverint, seu etiam inter fabulas relegarint: de his videat lector quæ *Cuperus* noster in dissertatione de ritu Mozarabico notavit (i).

Idem Sanctus videtur Mozarabibus, non Sarracenis prædicasse,

31 Attamen cum *Chronicon* *Malleacense* a *Labbeo* (k) editum, et cujus auctoritas apud *Historicos* laudatur, cum *Roderico* circa peractam monomachiam consentiat: suadente *Cupero*, fidem meretur *Rodericus*, dum illud idem duellum adstruit. At non

quod ex collatione historiarum,

(a) Collect. Conc., t. X, col. 252. et seq. — (b) Ibid., col. 17. — (c) España Sagrada, t. III, p. 305. Dissert. de Missa antiq. Hispan., n. 166. — (d) Labbe Conc., t. X, col. 52 et seq. — (e) Vide infra, n. 5. — (f) Coll. Conc., t. X, col.

252. — (g) Ibid., col. 252. — (h) Patres Toletan., t. III, p. 139. — (i) Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (k) Bibl. nov. MSS., t. II, p. 211.

- A tanta benignitate excipiendus censetur a nostro Cuperio Toletanus archiepiscopus, cum miraculum de Officio Mozarabico, intacto ab igne, incredibile fere, si occasionem, et magis incredibile, si attendas effectus (nam Alfonsus præcepit nihilominus Officium Romanum) solus narret, silentibus auctoribus coævis: quamobrem prodigium illud non diversum censeo a probatione, quam S. Anastasius adversariis suis proposuisse a Galterio narratur. Quæ sententia argumento, ex tempore deducto, stabiliri posse videtur. Rodericus scilicet narrat probationem per ignem factam fuisse paulo post probationem per duellum; verum male hanc refert ad tempora quibus Alfonsus uxorem habebat Constantiam: neque probandus est Cuperus noster (a), qui, Rodericum secutus, afficit ignis experimentum anno 1090, quo Alfonsus jam matrimonium inierat cum laudata Constantia. Et enim Chronicum Malleacense, cuius auctoritatem et antiquitatem multo præstantiorem Roderici scriptis prædicat jure merito ipse Cuperus (b), minime hæc ad tempora matrimonii Constantiæ, quæ filia erat Roberti ducis Burgundionum (c), sed ad tempus conjugii Agnetis, filix Guidonis ducis Aquitanorum referenda sunt; en Chronici verba (d): His diebus (inter annum 1068 et 1070) Hildefonsus rex Hispanorum duxerat filiam Guidonis (qui idem ac Guilielmus VIII dux Aquitanorum est) quam habuit de Mateode supradicta. Pro qua re exstitit causa et contentio de lege Romana. Quam legem Romanam voluit introducere in Hispaniam et Toletanam mutare: et ideo fuit factum bellum inter duos milites et falsitate fuit victus miles ex parte Francorum. Unde manifestum est hæc tempore reginæ Agnetis esse facta et quidem ante annum 1075, siquidem Corduba hoc anno traditur capta fuisse, et Lucas Tuidensis in suo chronico (e) postquam hanc victoriam narravit, extemplo subjicit: Tunc accepit uxorem Constantiam, et similiter Rodericus Toletanus, eandem prorsus secutus normam, caput XXI libri VI Historiæ Hispaniæ claudit his verbis (f): Tunc, mortua Agnete, duxit uxorem, nomine Constantiam, ex partibus Galliarum; et continuo pergit narrando Almenonis mortem, quæ anno 1077 accidisse fertur. Hæc quidem, Marianæ probata, a plurium calculo discrepant; at non video aliquid certi afferri adversus hæc antiquiora monumenta, quibus honor suus esse debet, donec meliora producantur. Oportet itaque, ut probatio per ignem, de qua apud Rodericum mentio est, inter annum 1073 et 1075 concludatur, quo tempore S. Anastasius in Hispania versatus fuit; et proinde facile fuit, ut per temporis intervallum, quod ab anno circiter 1075 usque ad tempus, quo Galterius S. Anastasii scribebat Vitam, et dein usque ad Roderici Toletani ævum, duplex de eodem facto invaluerit opinio.
- B 32 Ast in clamabunt forte adversarii: nonne S. Gregorius potuit Cluniacenses mittere monachos, quorum aliquot abolendo ritui Toletano, alii convertendis Sarracenis occuparentur? Eum potuisse negandum non est; eum vero id fecisse, utpote minime probabile, nequaquam admittendum videtur. Imprimis nullus scriptor Hispanus, licet in hanc rem, quam accurate potui, inquisivi, mihi occurrat, qui vel minimum ad hos Sarracenorum missionarios alludat; laudatur quidem a nonnullis coævis Alphonsus VI, quod augmentum fidei procuravit,
- C verum facilius id refertur ad liberationem Christianorum, et episcopatum sedium instaurationem, quam ad conversionem Sarracenorum. Præterea plurimæ nobis supersunt S. Gregorii VII epistolæ, ad res Hispanicas spectantes, et nulla quæ conversionem Sarracenorum vel levissime attingat; contra plurima vetera monumenta exstant, quæ contrarium suadent: sic inter epistolæ Alexandri II, qui decessor S. Gregorii fuit, leguntur quædam hujus Pontificis litteræ, quæ demonstrant nullam his temporibus spem fuisse Sarracenos Hispaniæ ad sacra Christiana traducendi; pauca ex ea recitare iuverit (g): Alexander Papa omnibus episcopis Hispaniæ. Placuit nobis sermo quem nuper de vobis audivimus, quomodo tutati estis Judæos, qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis, qui contra Sarracenos in Hispaniam proficiscebantur. Illi quippe, stulta ignorantia vel forte cæca cupiditate commoti, in eorum necem volebant sævire, quos fortasse divina pietas ad salutem prædestinavit... Dispar nimirum est Judæorum, et Sarracenorum causa; in illos enim, qui Christianos persequuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt, iuste pugnatur; hi vero ubique parati sunt servire, etc. Hæc Alexander, qui consiliario utebatur Hildebrando, postea S. Gregorio VII.
- D 33 Atque hic sapius de Sarracenis quoque agendum habuit, cum suo etiam tempore plures principes Christiani adversus eos profecti sint. At totus in vindicando jura S. Petri, innitens pactioni, quæ cum victoribus inita fuerat; nullus est in tentanda conversione Sarracenorum, quoniam, ut inferius videbitur, irrita æstimabantur hæc tentamina. Audiat S. Gregorius ad principes Hispaniæ scribens apud Labbeum (h): Itaque comes Evulus de Rocio, cuius famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem Sancti Petri ingredi, et a paganorum manibus eripere cupiens, hanc concessionem ab apostolica sede obtinuit, ut partem illam unde paganorum suo studio et adjuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte Sancti Petri possideret. Similiter in epistola anno 1077 ad omnes principes Hispaniæ data (i), et in qua sibi applicat hæc S. Pauli verba: Necessitas evangelizandi mihi incumbit; vix enim mihi si non evangelizavero! Iterum quidem agit de terris a Sarracenis ereptis, at frustra requires verbum, quod ad eos evangelizandos spectat. Atque his aliisque, quæ tum apud Labbeum tum apud Aguirum facile invenire est, satis liquet S. Gregorium de expellendis Sarracenis sapius cogitasse, de convertendis autem desperasse.
- E 34 Neque hoc tentasse æstimandus est Alphonsus, quemadmodum jam supra innuimus, et ut ex ejus ira, cum se absente Mezquita (Mosquée) Toletana in templum Christianum commutata fuisset, satis apparet. At nihil mirum: ex epistola enim Alexandri II supra recitata intelligere jam licuit, conversionem Sarracenorum difficiliorem habitam fuisse, quam conversionem Judæorum; atque hanc sententiam toto medio ævo viguisse testimonio sunt Extractions de libro, quem Humbertus de Romanis confecit de his quæ in Concilio Generali anno 1274 tractanda videbantur. Istic autem cap. VI talia sunt (k): Quinta circumstantia est quantum ad animositatem obstinationis ipsorum, quia multi Ju-

ex silentio scriptorum de missionibus ad Sarracenos, et ex testimoniis,

contrarium potius probantibus,

erui posse videtur.

(a) Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (b) Ibid., l. c. — (c) Fragm. hist. Floriac. apud Chesnum Script. rer. Francic., t. IV, p. 89. et Act. SS., t. VI Julii, p. 49. — (d) Biblioth. nov. MSS. Labbe t. II, p. 211. — (e) Hispania Illustr., t. IV, p. 100. — (f) Collect. Patr. Eccl. Tolet., III,

p. 138. — (g) Labbe Conc., t. IX, col. 1138, et Aguire Conc. Hispan., t. IV, p. 430. — (h) Concil., t. X, col. 10. — (i) Labbe Conc., t. X, col. 173 et seqq. — (k) Mansi, suppl. Concil., t. III, col. 7.

A dæi et hæretici et philosophi et imperatores et plures idololatræ conversi sunt et baptizati. Nam Vandali qui et Poloni, et Huni qui et Hungari, Gothi qui et Daci, sunt effecti Catholici : Sarraceni vero nulli vel paucissimi sunt conversi. Sexta circumstantia est quantum ad calliditatem. Sicut enim lex illorum callide est conficta, quod contra difficultatem in credendis, austeritatem in præceptis et pœnis divinis, carnalia permittit, voluptuosa, sensibilia, ad preces Mahometi omnes salvandos fore finaliter dogmatizat. Atque hinc liquet, (nam nihil adversus præsens argumentum valere potest, quod hoc instrumentum bellum sacrum respiciat, et in cap. xv dicantur Sarraceni subditi tolerari, quia nocere non possunt; item quia in multis servitiis utiles sunt et facilius convertuntur.) hinc, inquam, manifestum est, quantis difficultatibus innexa habebatur etiam sæculo XIII exeunte Sarracenorum conversio. Atque hæc quidem finem versus sæculi XI multo difficilior haberi debet, tum quoniam continuo adversus eos pugnabatur, tum quoniam magis vigeat apud eos lex, qua prorsus devitandus eis erat contactus Christianorum, tamquam in ipso contaminaretur, ut loquitur Ambrosius Morales, S. Eulogium testem habens. Quæ cuncta nonnihil confirmantur ex omnimoda fere absentia testimoniorum, quibus Sarraceni ad veram fidem deducti perhibentur : sic apud Baronium in Annalibus et Pagium in Critica reperies tantum aliquot in Sicilia victas dedisse manus.

Reliqua
chronotaxis
vitæ S. Ana-
stasii.

B 35 Reliquam chronotaxim, quæ facilius factu est, ex Hagiographis Benedictinis scripsimus, unum annum tantum ab eorum calculo detrahentes ob rationes, quas in hoc paragrapho late diducimus; sic illi : His itaque statutis, cum ex Vitæ auctore discamus Anastasium ex Hispania reversum septem annos Cluniaci, ac tres alios in solitudine transegisse, jam decem annos supra MLXXIV (immo MLXXIII) habemus; quibus si unum aut alterum adjiciamus, quos in itineribus vel etiam in Hispania verbi divini prædicationi incumbens consumpserit, conficiemus beatum virum anno circiter MLXXXVI (immo MLXXXV) ad superos abiisse. Quem quidem annum, donec certiora occurrant, retinere visum est. Neque nobis certiora uspiam occurrerunt; quin etiam nonnihil molestum nobis est, quod Galterius scribit S. Anastasium ab Hispania reversum, et septennium fere Cluniaci commoratum, cum S. Hugone in agrum Tolosanum abiisse, atque tunc illic comitem Appamiæ oppidi cum uxore et filiis ad conversationem monastici ordinis a S. Hugone susceptum fuisse. Nam ut in annotationibus ad hunc locum paulo latius explicabimus, nonnihil id pugnat cum aliis certis monumentis historicis : cæterum error forte est in solo nomine : Appamiæ oppidi comite. Ut ut id est, ex authenticis instrumentis probabile fit S. Hugonem, abbatem Cluniacensem, anno 1081 circiter Tolosæ versatum fuisse : legitur enim tum in Gallia Christiana inter instrumenta Ecclesiæ Tolosanæ (a), charta quædam, qua Isarnus episcopus Tolosanus et Wilhelmus comes S. Hugoni et abbati Moisiacensi Hualdo ecclesiam S. Saturnini tradidit; quæ traditio utpote minus æqua anno 1083 ad nihilum redacta fuisse a S. Gregorio VII noscitur (b). Referunt Gallia Christianæ scriptores diploma illud ad annum circiter 1082; sed multo verisimilius est duorum saltem annorum intervallo currisse inter traditionem illam ejusque revocationem, ut unicuique universam negotii seriem consideranti liquebit :

unde S. Hugonis ejusque socii Anastasii iter ad annum 1081 facile referri potest. Reliqua vero hujus Sancti gesta aut commentarium non patiuntur aut non requirunt : quamobrem quæ obscuriora sunt, in adjectis annotationibus quo licebit lumine circumdare satagemus. Itaque, quod superest, dicemus jam de Reliquiis.

36 Ut ad finem Vitæ testatur Galterius, sacrum corpus S. Anastasii in basilica Beati Martini ad Devotas, (aut ut nunc vulgo dicunt Saint-Martin-Doydes,) est reconditum, ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa Galterii tempore fiebant. At refrivit paulatim populi fervor atque concursus, ita ut tandem oblivioni tradita sit ejus sepulcri memoria : quod patet ex sequenti monumento, quod codici Ms., ipsam Vitam continenti, insertum erat, ut Mabillonius, qui illud Vitæ subjunxit, testatur : sic autem id sonat : Notum, manifestum et certissimum, secundum relationem fide dignorum procerum loci Sancti Martini de las Devotas, est, quod corpus Sancti Anastasii, quod fuit ignotum et inscitum ubi jacebat, fuit revelatum VII kalendas Julii per modum qui sequitur. Fuit quædam mulier devota dicti loci, quæ plures vigiliis in basilica Sancti Martini faciebat, et vox de celo sibi dicebat : In loco ubi oras, corpus esse Sancti Anastasii scias, et jacet ; et hoc semel, secundo et tertio sibi indixit. Propterea ipsa secunda de revelatione, indixit sacerdotibus et clericis ac senioribus dicti loci, qui cum devotione et fiducia locum, ubi dixit, profunde foderunt, sed non invenerunt. Et iterum vox de celo eidem devotæ mulieri dixit, quod foderent profundius eundem locum, et sanctum corpus invenient. Et ita factum fuit, et invenerunt sanctum corpus : de cujus revelatione in supradicto loco fuit magna sollemnitas, et fit quotidie *, et de circumvicinis locis ad eandem sollemnitate devote conveniunt, ad honorem et decorem ejusdem Confessoris et monachi magistri Sancti Anastasii, cujus anima paradysum possidet.

Ejus sepultura, et Reliquiarum elevatio,

37 Pauca ad hanc appendicem de inventione corporis S. Anastasii notari queunt : nulla scilicet ei inest talis nota, qualis ad tempus determinandum sufficiat, neque ullam ei addidit ex codicis Ms. vetustate Mabillonius. Hanc vero inventionem sæculo saltem post Sancti obitum contigisse mihi suadent, tum ipsa sepulcri oblivio, tum etiam fors nominum mutatio. Galterius enim, in eunte sæculo XII scribens, vicum ubi mortuus et sepultus fuerat Anastasius, nude Devotas nuncupat; in allato vero monumento jam locus, uti etiamnum, nomen a patrono mutuabatur, et locus S. Martini de las Devotas audiebat. Quod autem potissimum animadversione dignum est, patet ex ista scheda S. Anastasium ante id tempus ecclesiastico fructum non fuisse cultu; cum ex ipsa narratione liqueat antea nondum factam fuisse corporis elevationem, quæ legitimi cultus exordium erat. Neque cuiquam mirum videri debet S. Anastasium, ut recitata scheda probat, tam alte in terra sepultum fuisse : jubebat id quippe ejus sanctitatis fama, quæ Reliquiarum fures multo nimium tentasset. Talibus tum industriis usos fuisse homines ex multis constat historiis : sic in Vita S. Berengarii monachi et Confessoris, qui anno 1093 obiit, et xxvi Maii colitur, occurrant sequentia (c) : Sepultum est vero sanctum illius corpus prope introitum ecclesiæ quam decentissime, ut sanctum decebat sepelire. Sed quia furto auferri corpus

D

E

quotannis

cujus adjuncta expendantur;

F

(a) T. XIII, col. 10 et seq. — (b) Ibid., col. 11 et seq. — (c) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. vi, part. II, p. 775; et

Act. SS., t. VI Maji, p. 448.

A ejus timebatur, tumulus ejus muro est circumdatus, et infra ecclesiam redactus.

earumdem destructio fere integra sæculo XVI exeunte.

38 Num. 1 hujus Commentarii prævii jam secundum Mabillonium diximus, S. Anastasii corpus in pristina diœcesi Rivensi in ecclesia S. Martini Doydensis seu Devotensis servatum fuisse usque ad sæculum decimum sextum : quid deinceps ei acciderit, enarrat idem scriptor, prædicto scilicet sæculo a furentibus Calvinianis hæreticis dissipatum est, præter aliquot ejus particulas in scrinio argenteo inclusas, quæ a fidelibus eorum furori subductæ sunt et in loco tuto repositæ. Has ab aliquot annis invisit illustrissimus antistes Rivensis supra laudatus (*Antonius-Franciscus Berterius qui ab anno 1662 ad annum 1705 episcopatum obtinuit*), suæ auctoritate recognitas et approbatas fidelium venerationi exhiberi permisit. Haud procul ab eo vico visitur fons, Sancti Anastasii vulgo nuncupatus, quo sitim suam vir sanctus aliquando extinxisse memoratur. Frequentatur vero a vicinis populis, quod ejus aquæ haustu febrium ardores sedari dicantur, quod multorum experimento certum esse tradunt. *Typis tradebantur hæc a Benedictinis sodalibus ante annum 1701. At tentasse paulo certiori tempore sacri pignoris dissipatorem assignare operæ pretium est. Imprimis certum est hoc hæreticorum facinus non ante annum 1560 obtigisse. quoniam hoc tantum anno, ut ex Historia Occitanæ (a) colligitur, inchoavere hæretici has Galliarum partes turbare. At quod mihi, aliis instrumentis carenti, verisimillimum est, directæ fuerunt Sancti Anastasii Reliquiæ anno 1574; quod sequentia mihi probant : cum Barones scilicet Rivenses acriter a Catholicorum partibus starent, diu ab eorum dominio abstinuerunt Calviniani; quin etiam in relatione gubernatoris Narbonæ, jussu regis conscripta de gestis Virorum Ecclesiasticorum, Nobilium, etc., diœceson Narbonensis, Tolosanæ, Sam-Papulensis, Vaurenensis, Montalbanensis, Rivensis et Convenensis, post enumerata loca cæterarum diœceson, quæ in ditione hæreticorum sunt, hæc subduntur (b) : Rebelles nullo loco in diœcesibus Rivensi et Convenensi potiuntur; verumtamen Mansum Azillis et oppidum Carlam, quæ vicina sunt, occupant, et civitas Mazeria non longe quoque inde distat. Hæc gallice scribebantur Narbonæ die XXIII Januarii anni 1574. At hic annus non transit, quin Calvinianæ cohortes Rivensem diœcesim invasissent : quæ constant ex destructione Monasterii Salanquiarum, seu Abundantiæ-Dei, quod in diœcesi Rivensi, juxta ecclesiam S. Felicis de Salanchis, cum splendore substitit ad annum usque 1574; quo a Calvinistis sus deque everso, moniales in urbem Montequivum se receperunt, donec sæculo sequenti sedem Tolosæ fixere (c). A veritate itaque non videtur absonum S. Anastasii corporis destructionem ad hunc annum revocare. Quid deinceps de reliquis sacri corporis particulis actum sit, enarrare mihi non licet, etiamnum responsum ad nostras litteras expectanti.*

VITA S. ANASTASII

Auctore Galterio, ex editione Mabillonii.

PROLOGUS.

Cause scriptio-
nis,
a b

Galterius a Petro Devotensis b ecclesiæ subdiacono, et fratri ejus Bernardo, in omnibus

(a) Hist. du Languedoc, t. V. p. 188. — (b) Ibid., t. V. preuv. col. 227. — (c) Cfr. Gall. Christ., t. XIII, col. 142.

prosperitatem, et ad effectum perducere bonam devotionem. Cogitis me, dum impensius instantes rogatis, ut ad ædificationem posterorum tradam memoriæ calamo vitam Beati Anastasii confessoris. Et a me sine difficultate non video posse sufferrî, nec meis viribus competit : ne vita sancti viri culpa ingenii scriptoris potius videatur atteri, quam in majus celebrari. Ne tamen vestræ petitioni videar contraire, cui, etsi parum idoneus, debeo in omnibus obtemperare, quod dissuadet aviditas * ingenii, aggrediar tutus præsidio vestræ jussionis; etenim si quid sum, si quid valeo, Domino imputare debeo. Præterea cum me profitear amicum vestrum, non decet ut omittam, si in aliquo vobis quovis modo obsequii possum; cum ut quidam sapiens ait : Amicitia tantum constet in petendi devotione, et in sedula obsequendi voluntate. Ad hoc accedit devotio pura, quæ cogere potest, etsi absint omnia supradicta, ut ad perficiendum quod petitis audacter insistam. Dum enim curam hanc mihi tanto opere indicitis, posteritatis ædificationi consultis; dum ad laudem et honorem Dei, vitam sancti confessoris ac gloriosissimi Anastasii vultis reserari, ut posteris sit ad exemplum, et ad sanctitatis ejusdem viri testimonium. Rogo ergo, et obnixè supplico, ut si quid incuria parum quæsiero, aut egestate mei ingenii prætermisero, aut rescissione dignum super addidero, ne pigeat lectorem addere quod perspexerit additione dignum, aut rescindere quod transversis calami nota judicaverit corrigendum. Denique excusare me poterit devotio petentium, quæ, ut sæpe jam dixi, compulit audere quod ingenii diffidentia dissuaserat.

ANNOTATA.

a Quid de illo Galterio sentiendum sit, et de ejus opere, num. 2 et sequentibus Commentarii prævii explicatur.

b Vicus, qui Devotæ dicebatur ineunte sæculo XII, postea dictus est locus S. Martini de las Devotas, ut ex num. 37 Commentarii prævii colligere est. Gallice nunc dicitur Saint-Martin-Doydes, et fere septentrionem versus Appamiarum (Pamiers) jacet.

VITA GLORIOSI ANASTASII.

Sancti patria, monachus in Monte S. Michaelis, vita eremitica, secessus Cluniacum et in Hispaniam, reditus Cluniacum, repetita eremus, et fere pristina diœcesi Rivensi.

Gloriosissimus Anastasius Confessor Dei, Venetias oriundus, secundum dignitatem hujus mundi genere clarus enituit patre et matre non infimis ortus; qui ab ipsis cunabulis baptismatis unda regeneratus, a primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est; in quibus ita curam adhibuit, ut tam græcis, quam latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. Fuit igitur clarus ingenio, doctus eloquio, ornatus moribus, amabilis omnibus, ut felices dicerentur, qui talem filium genuissent. Sed quia vir Dei sapientiam hujus mundi stultitiam apud Deum esse

S. Anastasius liber-
liter et pie
educatus,

in

A in divinis codicibus legerat, et ipsam veritatem in Euangelio dicentem audierat : Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus ; cepit non sine gratia ad memoriam revocare, et idem apud se revolvere, quia grave damnum suscipere, se pro terrenis coelestia amitteret. Hæc diu revolvens, tandem secum deliberavit, quod, ut de commissis penitentiam ageret, monastico habitu sese committeret. Sed quia, manu missa ad aratrum, turpe est retro respicere, et tortum et inutile sulcum facere, voluit sanctus vir Anastasius sese primum jejuniis, vigiliis et orationibus macerare ; ut sic probaret, si, suscepto monachorum habitu, in proposito gradu persistere posset, ne resiliret : subtraxit ergo sibi primum vinum, in quo est luxuria, quarta et sexta feria a cepit jejunare, sic tamen ut aliquoties carnibus vesceretur : orationi et vigiliis plerumque insistebat.

ad vitam monasticam separat, eamque amplectitur in Monte S. Michaelis ;

B

3 Cum vero hoc modo per aliquantulum temporis carnem suam refrenasset, et jam quodammodo eam in via boni propositi teneret, abiecit edulia carniū ; et ita maxime vigiliis et orationibus cepit instare, ut a Dominica in Dominicam jejunaret. Sed quum aliquamdiu iterum se sic manciparet, sic confirmatus est, quod sibi visus etiam est firmus, et suo proposito sufficiens. Decevit ergo satisfacere, et suum propositum perficere. Derelictis ergo parentibus, domo et cognatis, quaerens locum idoneum, ubi monachorum suscipere habitum, ad mare Britannicum pervenit, ad locum, qui Portus-Herculis b appellatur, qui et alio nomine ad Montem Sancti Michaelis in Periculo-Maris dicitur ; ubi inventa magna congregatione monachorum, in omnibus religionum, excepto quod abbas c per simoniam subintraverat, habitum optatum suscepit. De abbatis simonia vir Dei penitus ignorabat. Factum est autem post revolutum annum, cum sederet cum quodam fratre d, et post sermonem habitum de confirmatione animæ, de vita sanctorum patrum, ad invicem quæstio referretur, et inde diu et multum dissererent, tandem sermo directus est ad abbatem. Cognovit vir Dei Anastasius, quod abbas erat simoniacus, et per pecuniam infinitam quam dederat, in abbatiam subintraverat ; unde supra modum dolens, et affirmans se diabolica fraude deceptum : quippe qui locum idoneum suo proposito quaesierat, et in laqueum nefandi hostis pene ceciderat, recessit inde, et quamdam insulam e ingressus in ipso introitu supradicti maris, in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ f, solus manere cepit, jejuniis, vigiliis et orationibus vacans.

unde paulo post discedit.

g

* revisenda

4 Ubi cum aliquanto tempore g vita eximie conversationis claruisset, et fama ejus longe lateque diffunderetur, venerabilis abbas, Hugo nomine, qui Cluniacensi monasterio eodem tempore præerat, ad revincenda * cœnobita exhortatione fratrum, qui per diversa loca et longe remota Deo deserviebant, cum multis fratribus exivit. Unde factum est, ut ad mare Britannicum perveniret, ubi audita vita et conversatione viri Dei Anastasii, misit duos de fratribus in insulam ad prædictam basilicam, et mandavit viro Dei, ut ad se gratia colloquendi exiret : de cujus enim bona conversatione audierat, eum et videre desiderabat ; qui, audito venerabilis viri abbatis adventu, cum magno gaudio exivit ; quem abbas honorifice suscepit et de vita et conversatione ejus studiose requisivit. A quo cum omnia audisset, et quomodo propter simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset ; votumque ejus intellexisset,

gavisus est valde super bona conversatione ejus, et quibus modis potuit in Dei servitio eum confortavit. Cumque per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum abbas multum referret, virum Dei monuit, et multum rogavit, ut Cluniacum secum adiret, ubi et votum suum complere posset, et exemplum bonæ conversationis ceteris fratribus dare. Cujus petitioni vir Dei Anastasius acquiescens, cum eo iter arripuit. Cumque Cluniacum veniret, magnam dilectionem et humilitatis familiaritatem apud omnes fratres habebat ; omnes unanimiter diligebat, omnes enim in Dei servitio vitæ suæ exemplo dirigebat. Diu namque vitam mirabilem duxit, dum sese dabat exemplar bonæ conversationis. Ceteris enim fratribus signo dato ad refectorium euntibus, vir Dei ad orationem remanebat, et nocte quiescentibus cunctis surgebat, et genu flexo fere tota nocte orabat, pane et aqua contentus vivebat, et hoc etiam quasi in momento accipiebat. Semel in anno in solitudines vel in prærupta loca ad celebrandas quadragesimas exibat, et tunc orationibus, jejuniis, vigiliis, flexionibus sese supra modum macerabat.

D

5 Per idem tempus præcepto sancti patris nostri Papæ Gregorii septimi et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ad prædicandum Saracenis h ingressus est ; ubi ad probandam certitudinem fidei Christianorum, et ad eradicandam crudelitatis duritiam Saracenorum, per rogum ardentem post celebrata Misarum i sollempnia transire voluit ; sed Saraceni conditioni ejus noluerunt acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad baptismi gratiam confugerent. Sed cum a cæcitate et duritia cordis sui ullo modo redire nollent, excusso pulvere pedum illos in testimonium, ad monasterium suum regressus est. Factum est autem post regressionem ejus, revoluti septennii fere spatio, ut venerabilis abbas ad exhortationem quorundam fratrum, laicorum et nobilium k, in Aquitaniam vellet exire, qui renunciantes mundo ad habitum monachorum volebant venire. Unde factum est, ut virum Dei Anastasium secum duceret ; erat enim in omnibus divinis Scripturis peritus, et in exhortatione et ædificatione fratrum validus. Cumque partem magnam Aquitanie exhortando fratres peragrasset, tandem in Tolosanum pagum pervenerunt, ubi comitem Appamiæ oppidi l cum uxore et filiis ad conversationem monastici ordinis suscepturi erant. Jam interim quoque instabat tempus, quo vir Dei Anastasius in solitudinibus vel in præruptis locis quadragesimam celebrare consueverat : unde cum multum sollicitus esset, et die ac nocte apud se tractaret, tandem Pyrenæos montes in propinquis situs ad hoc elegit idoneos, ubi et quadragesimas celebraret, et vitæ eremiticæ ad tempus vacaret. Cujus precibus abbas, quia baculus et quasi columna ceterorum fratrum erat, invitatus assensum præbuit. Sed quia cognoscebat constantiam ejus in servitio Dei, bonum votum nolebat morari. Coactus ergo et tristis concessit quod petebat. Cum vero ad invicem descenderent, venerabilis vir abbas flens et cum lacrymis et singultibus in collum ejus ruens, admonebat ut sui memor esset, pro se et pro ceteris fratribus apud Deum interpellaret, et ad ultimum valedicens, cum ceteris fratribus ad monasterium regressus est.

E

Petit Cluniacum, unde in Hispaniam mittitur ;

h

i

k

F

l

6 Vir igitur Dei Anastasius, qui hoc solum desiderabat, ut suo voto satisfacere posset, cum magno gaudio ad montes iter arripuit : quibus cum appropinquaret, et jam nullo obstaculo in-

regressus Cluniacum, ad Pyrenæos revertitur,

terveniente,

A
m
terveniente, singula loca notare posset, montem altissimum, qui Abriscola *m* dicebatur, ad habitandum elegit, quia in ea parte, qua situs erat, super alios montes eminebat. Derelicto ergo quodam fratre, quem secum habebat, ad radices montis in quadam ecclesia, solus montem ascendit, facto de frondibus satis angusto habitaculo et altari, ubi sacrificium offerret. Tunc inter nives assiduas et frigora Deo deserviebat, jejuniis, vigiliis et orationibus multum insistebat; nihil autem ad victum nisi subcinericium panem et aquam requirebat, quæ tantum sub mensura a fratre, quem sub monte reliquerat, accipiebat. Cum autem in his demoraretur, et vita ejus circumquaque audiretur, cœperunt multi adire eum, et multi ad eum convenire, ut verbum vitæ ab eo audirent, et vitam ejus quam mirabiliter deducebat cognoscerent, eumque, a quo divino pabulo refocillabantur, temporalibus sustentarent. Sed vir Dei nihil prorsus ab eis ad usum corporis accipiebat: invitari enim a populo non quærebat, qui etiam de Euangelio vivere recusabat. Quidquid ergo offerebatur, per manus quorundam fratrum *n* erogabat pauperibus, quos bonæ vitæ cognoscebat, et ad hoc idoneos ducebat.

n
B
ubi vitam eremiticam ducit, et vexatur a dæmone.

7 Sed inter hæc cum soli Deo placere quæreret, et ad hoc toto mentis ardore flagraret, antiquus ille hostis, artifex nocendi, adversarius humani generis, cœpit bonis ejus actibus invidere, et die ac nocte locum subintrandi ad nocendum quærere. Sed cum nihil omnino inveniret, quod in ejus actibus surripere posset, nullamque in eum potestatem haberet, machinabatur quomodo saltem de cella eum expelleret. Factum est ergo, cum quadam die post finitam orationem vir Dei Anastasius cellula exiret, et extra cum duobus fratribus, qui ad eum conveniant, sederet, hostis antiquus adfuit, et ignem in cellam ejus et in altare, quod ad sacrificium offerendum fecerat, posuit; sed vir Dei respiciens, cum ignem videret, insidias hostis nefandi agnovit: unde surgens et usque ad cellam tendens, hosti ut recederet præcepit, et signum crucis opposuit igni: ad cuius præceptum hostis recessit, et ad signum crucis extinctus est ignis. Quod cum auditum circumquaque referretur, tunc maxime cœperunt ad eum indigenæ fere omnes convenire, et orationi ejus se commendare; de commissis etiam ab eo quærere poenitentiam: fere enim per triennium quo mansit in eremo, tot ad eum concurrebant, quod plerumque omnes montes in circuitu cereis resplendere videbantur, qui ante cellam ejus a venientibus accendebantur. Sæpe etiam venientibus dixerat, se esse indignum ad quem venirent, se esse monachum a quo poenitentiam quærerent, et non habere se licentiam prædicandi, nec poenitentes suscipiendi: sed quid hoc proderat, cum tamen confestissime venirent, et lacrymis et precibus eum ad prædicandum excitarent?

Revocatur Cluniacum,

8 Sed cum Deus laborem ejus vellet remunerare, et ab ergastulo carnis eum evocare; ut major esset corona, voluit temporalem vitam ejus finire in obedientia. Factum est ergo ut vir venerabilis, abbas supradictus Cluniacensis ecclesiæ, desiderio videndi fratrem flagraret, cum quantum præsentia ejus fratribus ceteris præstabat, quantumque vita ejus eos confirmabat, tantum ejusdem absentiam recognosceret; unde hujusmodi epistolam per manus quorundam fratrum ei direxit, quæ eum ad monasterium fratrum ceterorum revocavit. « Dilectissimo filio Anastasio frater Hugo, peccator, salutem, et in beatam resurrectionem gloriosam electorum so-

cietatem. Miror, carissime fili, quod jam diu de vobis nihil audivi, nullam de vestra vita cognitionem accepi: unde mando vestræ dilectioni, ut si bonum videtur vobis, descendatis ad visitandos fratres, ut, sicut dixi, desiderabilis præsentia vestra corroboret et exhortetur eos. Bene valete, et pro fratribus orate. » Vir autem Dei Anastasius accepta epistola beati patris sui abbatis, gavisus est valde; et Deo gratias referebat, quod eum dignaretur ad fratres suos revocare.

D
quædam hic legi non potuerunt. Mabillonius.

9 Egressus itaque eremo, pervenit usque ad locum, qui dicitur, ad Verum Corpus Beati Antonini o Martyris, qui alio nomine nuncupatur Fredelas, ubi cum rogaretur a populo, ut corpus Beati Martyris in locum novum reponeret, et ad petitionem eorum se præpararet, oblatum est ei infirmus, qui jam longo tempore vexabatur a febribus, ipse vero cum aqua benedicta quam sanctificaverat eum aspersisset, et signum crucis fronti ejus affixisset, ita sanus effectus est, ac si numquam infirmitatem sustinisset. De eadem aqua benedicta quoscumque aspersit, a quacumque infirmitate detinebantur, sanitati restituit.

moratur in monasterio S. Antonini;
o

10 Cum igitur de egressione ejus fama audiretur, factus est undique concursus populi, qui dolebant et plangebant se relinqui a tanto patre, in tribulatione consolatore, in adversis protectore, eumque lacrymis et fletibus deprecabantur, ne eos dereliqueret, quos fovere consueverat, quos pabulo divini verbi refocillare non neglexerat. Sed vir Dei, cujus laboris merces jam instabat, ut per obedientiam, sicut supra diximus, ejus accresceret corona, revocanti se patri suo abbati obedire volebat: nec infirmitas febrium, qua graviter detinebatur, eum ab hoc revocare poterat. Post allocutionem ergo divinæ admonitionis et exhortationis recedens, pervenit usque ad locum, quem Devotas appellant, ubi, jam invalescente infirmitate febrium, cœpit graviter ægrotare, in tantum ut hoc morbo certus esset de corporis sui resolutione; unde cum ad mitigandum dolorem aliquantulum rogaretur quiescere, et ad refrigerandum se balneare, sibi abnegavit utrumque; subjungens etiam, quia ex quo conversionem monasticam noverat, nullo balneo usus erat, nec etiam ad lavandum pedes aut caput aquam dederat. Sui igitur stadii cursu consummato, percepturus justitiæ coronam in consortio Sanctorum monachus, eremita et Confessor XVII kalendas Novembris migravit ad Dominum. Sacrum vero corpus ejus honorifice in basilica Beati Martini ibidem est reconditum; ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa fiunt. Sed ne videamur ingerere fastidium, si per singula discurramus, ex ordine, prætermisissimis multis, pauca conemur explicare.

E
moritur in itinere.

11 Virgo quædam a tribus dæmonibus possessa tenebatur, qui in tantum eam vexabant, quod etiam mutam reddiderant. Ducta est per multa Sanctorum loca, ut sanitatem recuperaret: et dæmonia tandem responsum dederunt, quod ab obsesso corpore non egrederentur, nisi ad corpus Beati Anastasii Confessoris supradicti deducerentur. Qui ergo eam ducebant, dixerunt intra se, ubi invenirent; et requisierunt locum, in quo Sancti corpus requiesceret; adhuc enim ignorabatur a pluribus, quod de mundo nuper migrasset. Cum ergo audissent, quod ad basilicam Beati Martini Devotis esset reconditum, ligatam cum funibus illud deduxerunt; quibus ad locum appropinquantibus, dæmones vociferantes clamabant:

Miracula patrat post mortem.

Cur

A Cur nos incendis, Anastasi? cessa cruciari* et exhibimus; cessa flagellare et ab obsessore corpore recedemus. Per multa corpora Sanctorum ducti sumus, et a nullo sic flagellati recessimus; tu solus nos incendis, tu solus cruciari*, tu solus noces nobis. Trahentes ergo eam cum manibus in ecclesiam impulerunt, et juxta tumbam Beati Confessoris extenderunt. Omnes autem, qui aderant, genu flexo cum lacrymis deprecabantur, ut Deus dignaretur ostendere adstantibus virtutem suae clementiae, et ad testimonium sanctitatis sui Confessoris dignaretur illam liberare. Vix orationem compleverant, et ecce daemones ab illa puella exierunt. Surgens vero recte loquebatur, et liberatam se, nihilque mali perpeti testabatur. Mulier etiam quae septem annis in caecitate permanserat, cum illuc deduceretur, et post peractas vigiliis noctis staret ante tumbam Sancti Confessoris, cum in ipsa celebratione Euangelium legeretur, visum recepit. Quidam vero clericus, qui phrenesi laborabat, ad eundem locum deductus est, catenis adstrictus et funibus, ad recuperandam sanitatem. Hic quoties motio cerebri sui accidebat, si quem arripere poterat dentibus et unguibus attriebat; qui cum tribus vigiliis ante tumbam Beati Confessoris degisset, sanitatem recepit, et liber ab omni phrenesi recessit, nec postea aliquid pristinae infirmitatis sustinuit.

ANNOTATA.

a Hæ ferè passim observabantur in Gallia a religiosioribus monachis et eremitis; jejuniis vero sabbati, alibi commendatum, minime in usu erat (a).

b Hoc agnomen Montis Sancti Michaelis in Periculo Maris apud alios scriptores non invenio. Baudrand in suo *Lexico Geographico* latino tria alia recenset loca, quibus illud nomen est; at omittit Montem S. Michaelis inter hæc recensere. Multis de Monte S. Michaelis jam egit Mabillonius variis in locis suorum *Annalium*, et latius etiam de eo dictum est in *Opere nostro ad diem xxix Septembris* (b), cum ad hanc diem boni consultum esset de pluribus Sancti Michaelis apparitionibus simul scribere; similiter a Valesio in *Notitia Galliarum*, ad vocem S. Michael in Monte varia ejus nomina præter Portum-Herculis recensente, et in *Michaelis Novi Chronico apparitionum S. Michaelis* (c). Ut tamen iste Mons S. Michaelis ab aliis homonymis fere distinguatur, pauca addidisse juverit ex *Gallia Christiana* (d): In confinio Britonum ac Norman-

G In confinio Britonum ac Normanorum, medio in mari, grandior instar tumuli assurgit mons ducentos altus cubitus, sex millibus ab æstu Oceani, inter ostia situs, ubi mari immergunt se flumina Segia (la Sée) et Senuna (Selune vel ardeé), totidem ab urbe Abrincatensi. Ab antiquis ob formam Mons Tumba, quandoque etiam ad duas Tumbas dictus legitur, quod alteri scopulo, minori quidem atque inde Tumbella sive Tumbellana dicto, sit proximus. Denique in Periculo-Maris etiam nuncupatur, quia bis qualibet die tribus fere milliaribus undique cingitur Oceano, stans vicibus intumescente, ita ut incauti et ignari æstus Oceani, si qui forte deprehensi fuerint, opprimantur. *Abbatia, de qua*

D in Vita S. Anastasii sermo est, occupabatur exeunte sæculo superiori a monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri; nunc vero carcer factus, per multos continuo capit damnatos.

e In Commentario prævio num. 6 et sequentibus latissime disputatum est de hoc abbate.

d Videtur hic frater idem esse ac Robertus de Tumbalenia, ut num. 12 Commentarii prævii probabile facere conati sumus.

e Insula hæc Tumbalenia est; sæculo circiter post S. Anastasii abitum, prioratum seu eremitorium in ea instituit Bernardus, S. Michaelis abbas (e); tardius vero castrum illic ædificatum est, quod anno 1667 præ metu hostium destructum fuit (f), Plura vide in *Gallia Christiana* (g), apud Beauvier (h), et Zeiller, qui imaginem ejus exhibet (i).

f In Commentario prævio num. 8 pauca jam nominimus de hoc sacello: nonnulla alia hic apponenda videntur ex *scriptione quadam Anonymi, sæculo x antiquioris, de apparitione S. Michaelis in Monte Tumba; auctor scilicet agens de priscis incolis Montis Tumbæ, qui vicinus est Tumbalenia* (k): Quia, inquit, secretiora cœli per contemplationem sublimitatis rimari volentibus gratissima esse solent remotiora eremi loca, inibi olim inhabitasse comperimus monachos, ubi etiam usque nunc duæ exstant ecclesie, priscorum manu constructæ. Dubium non est, quin similis fuerit ea, quæ in Tumbalenia patronam habebat Deiparam, ut ex hoc S. Anastasii Vita loco manifestum est.

g Quamdiu illic solus manserit, et quando discesserit, dictum fuit num. 17 et sequentibus Commentarii prævii.

h Quam parum verisimilis sit illa narratio in § II Commentarii prævii late expensum fuit.

i Ex hoc loco et ex alio inferiori liquet S. Anastasium sacerdotem fuisse.

k En hujus rei causa: anno 1076, aut, ut Mabillonius vult, anno 1077 (l), Simon comes Crespensis, qui xxx Septembris in Sanctorum catalogis cum Beati nomine prodit, S. Alexium imitatus, sponsæ et sæculo renuntians, secessit in monasterium Jurense S. Eugendii. Quod virtutis exemplum tanto splendore claruit, ut, teste Simonis biographo (m), Flandriæ, Normanniæ, ceterisque Galliarum partibus usque ad fines Germaniæ, tanti viri rumore suscepto, stupore repleti morarentur: quippe qui notus regionibus illis, dilectus Deo, et tam carus omnibus erat, quatenus Hugo Burgundiæ dux, comesque Matisconensis et ejusdem ordinis quamplures, pietatis affectu et illius dulcedine inflammati, arma deponerent, sæculum relinquentes.

l Hic locus intricatus est valde: constat quidem Rogerium II Fuzensem comitem (nam qui postea comites Appamienses interdum dicti sunt, sæculo xi exeunte, comites Fuzenses appellabantur) dedisse Hugoni Cluniacensi anno 1074 locum Garunnam dictum, ædificando monasterio aptum, ineunte anno sequenti castrum de Lordal aliaque, et anno 1076 ecclesiam quamdam a se constructam (n); constat secundo monasteriorum advocatos, qui sæpe principes erant, milites monachos (o) nonnumquam appellatos fuisse; constat tertio fraternitatum usum Cluniaco (p) non exulasse, et viros qui harum fraternitatum fiebant participes, in fratres et monachos recipi aliquando dictos esse (q), atque hanc

(a) Cfr. Binterim *Denkw. der katol. Kirche*, t. V, part. II, p. 130 et seq. — (b) *Act. SS.*, t. VIII Septemb., p. 74. — (c) P. 304 et seqq. — (d) T. XI, col. 510. — (e) *Gall. Christ.*, t. XI, col. 518. — (f) *Ibid.*, col. 521. — (g) *Ibid.*, loc. cit. et col. 510. — (h) *Rec. des archevêchés*, etc., p. 732. — (i) *Topographia Gall.*, part. VIII, p. 21 et seqq. — (k) *Act. SS.*, t. VIII Sept., p. 77. — (l) *Act. SS. Ord. S. Be-*

ned.

, sæc. VI, part. II, p. 371. — (m) *Ibid.*, p. 378. — (n) Cfr. Mabillonium in *Annal.*, lib. LXIV, § LXXVI, et § CXV, t. V, p. 73 et 95 et D. Vaissette *Hist. du Languedoc*, t. II, p. 233. — (o) Du Gange in *Glossar. v. Advocatus et Miles*. — (p) *Ibid.*, ad v. *Fraternitas* vide plura exempla et ordinem recipiendi. — (q) *Ibid.*, loc. cit.

gratiam

A gratiam in donatores et benefactores vulgo fuisse collatam : ex quibus si quis Galterii dicta explicare velit, ego quidem non obstabo. Certum saltem est Galterii verba non crude accipienda esse, quasi comes Fuxensis, seu Appamiarum, ejusque uxor, et liberi vitam monasticam amplexi forent. Etenim ille idem comes, qui ab anno 1073 usque ad annum 1121 Fuxensem terram obtinuit (a), nedum monachalem cucullum induerit, anno 1095 crucem assumpsit (b) et in Terram Sanctam profectus est. Præterea multum abest, ut semper monachis faverit; quinimmo excommunicatus fuit ab Urbano II et Paschali II, quod illorum terras occupaverat; et diu Sedi Apostolicæ rebellem se præstitit: ut habemus ex authenticis instrumentis, Gallix Christianæ (c) et Historiæ Occitanæ (d) insertis. Verum facile fieri posset, ut hic amanuensium error irrepserit: etenim nondum his temporibus comites Fuxenses Appamienses dicebantur; quod nomen ortum videtur a castro, quod Rogerius II, e bello sacro redux, juxta abbatiam S. Antonini condidisse perhibetur (e); atque adeo anno 1111 primum occurrit id castrum Appamiæ agnominatum (f): alias atque etiam diu post Fredelaz, Fredeleiz, locus Sancti Antonini, etc., dicebatur. Deinde Galterius paulo infra eundem locum consueto nomine indicat, scribens num. 9: Egressus itaque de eremo pervenit usque ad locum, qui dicitur AD VERUM CORPUS BEATI ANTONINI MARTYRIS, qui alio nomine nuncupatur FREDELAS: en duplex nomen a Galterio relatum; qui fit ut hic loci omiserit Appamiæ, si superius comitem Appamiensem scripserit? Id itaque potius ad-

B

(a) Hist. du Languedoc, t. II, notes, p. 586. — (b) Ibid., p. 287 et 288. — (c) T. XIII, instrum. col. 88. — (d) T. II, instrum. col. 378 et seq. — (e) Gall. Christ., t. XIII, col. 150; et Hist. du Languedoc, t. II, p. 358. — (f) Ibid., locis

mittendum videtur, hic non agi de Fuxensi comite, licet nos lateat quem indicare voluerit Galterius.

m Quis ille mons sit, nulli me docent libri, neque chorographica tabulæ. Ut ex itinere S. Anastasii, Cluniacum paulo post redeuntis, patet, meridiem versus Appamiarum jacet.

n Testimonium est, servatum tum fuisse consilium, quo nemini soli concedenda suadetur ab asceticis vita eremitica. Latius vide de hac re præcellentes Disquisitiones Monasticas Haesteni, Afflighemiensis præpositi (g).

o De S. Antonino Martyre ample disputavit Stillingus in Opere nostro ad diem II Septembris (h). At nihil istic proferre ei licuit quod ad hanc Reliquiarum translationem, aut capsæ mutationem pertineret; neque nobis fuit datum quidpiam reperire, quod certo tempore hoc factum annectat. Sine temporis nota narrat Petrus de Marca, Benearnensis historicus, ex Fuxensibus scriptoribus, Reliquias S. Antonini Lezatam multa cum solemnitate translatas fuisse, Rogerio II eas sub pallio suo portante. Cum inde forte relatæ sunt, facta fuerunt quæ hic narrantur. Notandum insuper est, quod, cum hic locus detorqueri non posse videatur ut credamus id temporis caput solummodo S. Antonini illic servatum fuisse, non vero totum corpus, facile intelligitur quanti momenti hic Galterii textus sit adversus scriptores Historiæ Occitanæ, qui sensere (i) corpus S. Antonini Fredelas, seu Appamiæ delatum fuisse tempore sacrorum bellorum; quibus anno 1095 tantum initium datum fuit. Caterum aliis argumentis fuse jam refellit Stillingus (k) hanc opinionem.

cit. — (g) P. 283 et seqq. — (h) Act. SS., t. Sept., 340. — (i) Hist. du Languedoc, t. I, p. 623. — (k) Act. SS., t. VI Sept., p. 349 et seqq.

DE S. BERTRANDO,

C ARCHIDIACONO TOLOSANO, ET CONVENENSI EPISCOPO

F IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Bertrandi festum die XVI Octobris proprie celebrandum; ejus biographiæ, earumque fontes; de initiis monasterii Scalæ-Dei.

GIRCA ANNUM
MCXV.

S. Bertrandi, XVI Octobris celebrandus in Martyrologiis,

Silet hodierno die Martyrologium Romanum S. Bertrandi nomen; neque alio die silentium illud rumpit. Verumtamen per totam fere meridionalem partem Gallix viget ejus cultus, atque adeo apud canonicos regulares unius alteriusve Congregationis olim invaluerat, et in ipsam Hispaniam et Germaniam jam pridem penetraverat. Ad finem hujus Commentarii, ubi de cultu agemus, has dioceses aliaque loca, quantum licuerit, conabimur recensere. Hic tantum notabimus, eum in quibusdam locis die XV, in aliis die XVII Octobris coli, plerumque ob alia concurrentia festa; unde explicandum est quapropter Saussayus, Martyrologium Parisiense et Ebroidense, non secus ac Bail-

letus ad diem XV Octobris de eo agant. Quod vero Ferrarius in suo Catalogo generali Sanctorum et Saussayus iterum de eo ad XIX Novembris sermonem habent, errorem esse inferius videbimus. (Vide ad finem hujus Commentarii.) Peyronnet, doctor sacræ theologiæ et parochus Tolosanus, in suo Sanctorum Catalogo, Castellanus in Martyrologio suo universalis, et Carolus de Caylus in Martyrologio Autisiodorensi soli mihi inter martyrologos occurrunt, qui S. Bertrandi festum diei XVI annectunt; quod recte ab eis fieri indubium est, quandoquidem hac die S. Bertrandi mortuus est, et in oppido et ecclesia, sua olim episcopali sede, multo cum honore celebratur. Jam ad ejus biographos stylum transferimus.

2 Ut